926 R. vol. 1 96

HERACLITEA.

PARTICULA I.

SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA RHENANA ORDINE RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THEMATIS

DIE XIV MENSIS MARTII A. CIↃIↃCCCXLVIII

PUBLICE DEFENDET

IACOBUS BERNAYS

HAMBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

LEOPOLDUS SCHMIDT, PH. DR.
ANTONIUS LOWINSKI, SEMINARII PHILOLOGICI SENIOR.
OTTO SEEMANN, PH. CAND.

BONNAE,

FORMIS CAROLI GEORGII.

A. CIↃIↃCCCXLVIII.

PRAECEPTORI · SVO

FRIDERICO · RITSCHELIO

D · D · L · M

IACOBVS · BERNAYS

GRATI · ANIMI · ERGO

Schleiermacherus, incorruptus, quod in tali viro consentaneum est, suorum operum iudex, quid in commentatione sua Heraclitea praeter alia maxime desideraverit, palam omnibus ipse proposuit. Nam quum fragmentorum colligendorum conatum primum statim evasisse perfectum haudquaquam gloriatus sit (Museum d. Alt. Wiss. I, 321): tum quaestionem de fide scriptorum, qui Heraclitea attulerunt, recentiorum, a se extremis tantum, ut aiunt, digitis attingi potuisse ingenue professus est (ibid. 533). Iam hanc quaestionem gravem sane lateque patentem *) prudens nemo absolutum iri existimaverit, donec manca fragmentorum collectio in eam expleta erit perfectionem, quae hodie peti potest ex fontibus partim nondum patentibus Schleiermachero partim ab illo praetermissis. Inter hos autem fontes, ad quos, quamquam poterat, non accessit, unus scatet copiosissimus, ex quo quod nihil hauserit ille vehementer quidem omnes mirabuntur, quoscunque nondum edocuit experientia, qualia in laborioso fragmentorum conquirendorum negotio, vel cum accurata diligentia, haud caveat humana natura. Res vero haec est:

Edidit a. 1752 I. M. Gesnerus inter commentationes societatis Gottingensis „De animabus Heracliti et Hippocratis ex huius libro I. de diaeta disputationem“ cuius primarium quidem consilium in eo versatur, ut Leuwenhoeckianam de spermatozois doctrinam iam in Hippocratico illo libello contineri demonstret. Per hanc autem occasionem primum περὶ διαίτης librum diligentius perscrutatus Gesnerus, id quod summum est: inesse libro illi Heracliteas sententias, et recte agnovit et exposuit probabiliter. Quamquam in singulis, qua

*) Tractabit eam secunda huius disputationis particula propediem in Museo philologico proditura.

tunc erat condicione historia philosophiae, aliena omnia venditavit pro Heracliteis, neque quicquam videtur perspexisse de vera operis *περὶ διαίτης* natura. Illam igitur Gesneri disputationem minime quidem ignoravit Schleiermacherus, quippe quam nominatim attulerit (p. 375) in re secundaria, ubi coniecturam aliquam, qua Gesnerus Diogenis Laertii verba emendari opinatus erat, recte refutavit. Neque minus quae de unico, quo omnino usus est, Hippocratico loco (*περὶ τροφῆς* VI 299 Char. II 24 Küh. *ὁδὸς ἄνω κάτω μίη* *) profert (p. 383 fr. 28), e Gesneri, quamquam non nominati, annotatione l. p. 72 sumpta esse, qui utriusque verba inter se contulerit statim videbit. Verum rem primariam: refertum esse primum *περὶ διαίτης* librum sententiis Heracliteis plurimis, haud paucis adeo, nisi omnia fallunt, ipsius Ephesii verbis, id non solum non persecutus est Schleiermacherus, sed tam alto oppressit silentio, ut omnes, quos post illum Heraclitea attigisse sciam, prorsus averteret a vestigiis illis pridem monstratis per Gesnerum. Illuc igitur ut reducam si qui in posterum de Heraclito agere suscipient, manum quasi iniiciam Heracliteis in primum *περὶ διαίτης* librum, tanquam in com-

---

*) Quod ad ipsam sententiam attinet, conferendus est Musonius Rufus *ἐκ τῶν Ἐπικτήτου περὶ φιλίας* (Stob. Serm. 108, 60) aperte heraclitissans: *ὅτι τοιαύτη ἡ τοῦ κόσμου φύσις καὶ ἦν καὶ ἔστι καὶ ἔσται.* (v. Heracl. fr. 25 p. 374 Sch. *κόσμος — ἦν ἀεὶ καὶ ἔσει καὶ ἔσται*) *καὶ οὐχ οἷόν τε ἄλλως γίγνεσθαι τὰ γιγνόμενα ἢ ὡς νῦν ἔχει. καὶ ὅτι ταύτης τῆς τροπῆς καὶ μεταβολῆς οὐ μόνον οἱ ἄνθρωποι μετειλήφασι καὶ τἄλλα ζῷα τὰ ἐπὶ γῆς ἀλλὰ καὶ τὰ θεῖα* (v. infra p. 10 v. 9) *καὶ, νὴ Δί', αὐτὰ τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἄνω καὶ κάτω τρέπεται καὶ μεταβάλλει. καὶ γῆ τε ὕδωρ γίνεται καὶ ὕδωρ ἀήρ. οὗτος δὲ πάλιν εἰς αἰθέρα μεταβάλλει. καὶ ὁ αὐτὸς τρόπος τῆς μεταβολῆς ἄνωθεν κάτω.* Quae admodum raptim carptimque excerpta esse, vel iterata illa *ὅτι* et *καὶ* indicant. Quapropter etiam Heracliti mentio videtur exstitisse in exemplari, omissa esse per solam excerptoris festinationem.

mune variarum diversarumque doctrinarum receptaculum, derivatis. — Sed de ipsa *περὶ διαίτης* operis natura breviter ea sunt praemittenda, quae sine huius disputationis detrimento, nequeunt omitti, possunt autem explorari etiam seiuncta ab Hippocratici corporis crisi universa, perdifficili illa et perobscura.

Tres *περὶ διαίτης* libros integros ab uno eodemque scriptore profectos non esse, ex solo dicendi genere vario atque discrepante unusquisque intelligit, etiamsi a dissensione ipsarum sententiarum disceptanda sese abstineat. Itaque iam Galenus quum secundum librum ex sua sententia non alienum esse ab Hippocrate pronunciet, ab aliis vero criticis ascribi testetur*) vel aequalibus Hippocratis vel illo etiam antiquioribus medicis (*περὶ τροφῶν δυνάμ. δ'* VI 306 Ch. VI 473 Küh. *περὶ διαίτης ὀξέων ὑπόμν. α'* XI 15 Ch. XV 455 Küh.): contra, primum librum concedit *ἀφεστηκέναι πάμπολλα τῆς Ἱπποκράτους γνώμης*. Illis vero diversitatis indiciis occurrit ab altera parte unitatis cuiusdam species consulto inducta. Nam quum libri tertii prooemium aperte ad prooemium libri primi respiciat (*περὶ διαίτ. γ'* init. *ὥσπερ μοι καὶ πρότερον εἴρηται*, I 707 Küh. coll. 629 init.): tum quae primi libri prooemio tractatum iri promittitur, nemo negabit per universos tres libros**) pertinere, qui in eis perlegendis non oblitus fuerit singularum partium, in quas p. 628—630 distribuitur de diaeta quaestio. Per illam igitur manifestam diversitatem, unitatem

---

*) Solet quidem hoc Galeni testimonium ad omnes tres libros referri, non ad solum secundum. Id vero ipsa Galeni verba refutant, si accurate ea pensitaveris.

**) Atque adeo per librum *περὶ ἐνυπνίων*, quem *περὶ διαίτης* operi annexum fuisse clausula demonstrat haec: *εὕρηταί μοι δίαιτα ὡς δυνατὸν εὑρεῖν ἄνθρωπον ὄντα ξὺν τοῖσι θεοῖσιν* (II 16 Küh.). Ibi eatenus tantum agitur de somniis, quoad futuros morbos indicant (II 2). Id vero pertinet ad *πρὸ τοῦ κάμνειν τὸν ἄνθρωπον προδιάγνωσιν*, quam ultimam disputationis partem constituit primi *περὶ διαίτης* libri prooemium (I 629 extr.).

simulatam eo duci videmur, ut dicamus: variarum aetatum variorumque scriptorum et integros libellos *) et libellorum particulas in unum hoc corpus conglutinatas esse a medico aliquo, qui quum certum quendam ordinem, ad quem commode procederet de diaeta quaestio, ipse sibi excogitasset, undique ex aliorum operibus colligebat, quicquid ad singulos argumenti sui locos facere videretur. Ut in hoc *περὶ διαίτης* opus idem cadat iudicium, quod de alio Hippocratico libro, *περὶ φύσιος ἀνθρώπου*, fecit Galenus (*π. φύσ. ἀνθ. ὑπόμ. α'* III 84 Ch. XV 10 Küh.): *εὔδηλον οὖν ὅτι τὸ — ὅλον βιβλίον ἐκ πολλῶν διεσκεύασται καὶ σύγκειται.* Neque ipse consarcinator institutum suum prorsus celavit lectores. Postquam enim dixit, a superioribus scriptoribus aliis alias de diaeta quaestionis partes esse perstrictas, universam pertractatam a nullo, ita se horum scriptorum libris usurum profitetur: *ὁκόσα μὲν οὖν ὀρθῶς ὑπὸ τῶν πρότερον εἴρηται, οὐχ οἷόν τε ἄλλως ὅκως* (scr. *κως*) *ἐμὲ συγγράψαντα ὀρθῶς συγγράψαι* 626 v. 8. **) *ἐγὼ γοῦν ὥσπερ εἶπον τοῖσι μὲν ὀρθῶς εἰρημένοισι*

---

*) Inde etiam illud explicatur, quod, teste Galeno (*π. τροφ. δυν.* l. l.), secundus *περὶ διαίτης* liber olim circumferebatur separatus a reliquis, tanquam opus in se absolutum.

**) In Hippocrate paginarum numeris usus sum Kuehnianarum. Lectiones autem etiam e ceteris editionibus tacitus ascivi, quae probabiliores viderentur quam Kuehnianae sive potius Foesianae. Nam Kuehniana editio nihil est nisi repetitio Foesianae a. 1657. E libris manuscriptis usum aliquem habet solus Vindobonensis Mackii. Pertinet vero ad eorum genus librorum, in quibus usurpandis non possis nimia cum cautione versari. Etenim quum appareat descriptum illum esse ex exemplari et correctiore quam reliqui libri et pleniore: non minus aperta insunt licentiosissimae interpolationis documenta. Velut, quos infra p. 16 composuimus capitum indices, ei omnes fere violentis mutationibus atque vel sic inepte ordini verborum adaptantur. Illo igitur Vindobonensi [V.] ita usus sum, ut ea tantum afferrem, quae probarem. — Quod ad dialectum attinet, non nimis quidem difficile fuisset, remota quae in hoc sane genere haud delectat varietate,

προσομολογήσω 627, 1. Quibus id certe confitetur transtulisse se in suum opus sententias aliorum, neque vero excludit aliquando etiam ipsam orationis continuitatem se transscripsisse, ubi aut noluerit aut nequiverit suis verbis dicere quod non suo invenerat ingenio. Sic igitur versatus est in eis alienorum librorum partibus, quae recte sese habere ipsi videbantur. Quomodo vero egit cum eis, quae non recte? Haud reprobavit aperte, sed tacitus suam opinionem substituit: ὁκόσα δὲ μὴ ὀρθῶς εἰρήκασιν, ἐλέγχων μὲν ταῦτα διότι οὐχ οὕτως ἔχει οὐδὲν περανῶ. ἐξηγούμενος δὲ καθότι αὐτῶν μοι δοκέῃ ἕκαστον ὀρθῶς ἔχειν δηλῶσαι βούλομαι 626, 11. τὰ δὲ μὴ ὀρθῶς ἐγνωσμένα δηλώσω ὁκοῖά τινά ἐστιν 627, 2. Ergo ipse compilator certiores nos facit tum qualia in opere suo collecticio possimus invenire, tum quae maxime cautio adhibenda sit indagandi negotio. Insunt enim librorum particulae antiquissimorum, sed in unum acervum promiscue conjectae, confusae, interpolatae.

Nos vero, ceterorum philosophorum res repetundas aliis committentes, sola Heraclitea eruamus ex ea praecipue primi libri parte, quae de universa hominis natura agit (630, 4—647, 4). Quem quum principem sui argumenti locum dicat compilator (627, 6): tam is copiose tractatur ut non hominis solum sed omnium rerum naturam comprehendat. „Et homo“ inquit (630, 4) „et cetera animantia constant ex duobus, quae „dissentiunt facultate, usu consentiunt (ἀπὸ δυοῖν διαφόροιν μὲν τὴν δύναμιν, συμφόροιν δὲ τὴν χρῆσιν),“ i. e. ex „igni et aqua. Quae dum coniuncta sunt, et mutuo sibi et „omnibus aliis rebus tum procreandis tum sustentandis suffi„ciunt, separata, neque sibi neque aliis. Utriusque autem vis

---

ad unam aliquam formam revocare omnia. Verum sicut facile fieri potuit, ita factum esset temere in ea quidem condicione, qua etiamnunc est Hippocraticorum librorum et inferior, quam dictitant, critica et superior. Retinuimus igitur tralaticiarum editionum „dialectum“ non Ἰάδα sed μιγάδα.

„ea est, ut ignis omnia moveat, alat omnia aqua; vicissimque „alterutrum et superat et superatur, ita ut quoad licet (ὡς „ἀνυστόν) et minimum fiat et maximum. Consulto autem ad- „ditur: „quoad licet“. Nam omnino (παντελῶς) superare „potest neutrum. Quippe si ignis alicubi usque ad extremum „aquae locum progressus est, ibi deficiente ipsius alimento, „recedit alio, ubi alatur (τὸ μὲν πῦρ ἐπεξιὸν ἐπὶ τὸ ἔσχατον „τοῦ ὕδατος, ἐπιλείπει ἡ τροφή· ἀποτρέπεται οὖν ὁκόθεν „μέλλει τρέφεσθαι). Rursus, si aqua ad extremum ignis lo- „cum pervenit, deficiente motu, consistit. Simul ac vero con- „sistit, debilitatur (ὁκόταν δὲ στῇ οὐκέτι ἐγκρατές ἐστιν), neque „resistere potest igni irruenti, qui eam in alimentum consumit. „Propterea igitur neutrum potest omnino superare. Sin autem „aliquando alterutrum vinceretur, nihil omnium rerum eam, quam „nunc habent, condicionem retineret. Donec vero eam reti- „nent, etiam illa, ignis et aqua, semper exstabunt neque al- „terutrum neque ambo deficient. (εἰ δὲ κότε κρατηθείη καὶ „ὁκότερον, οὐδὲν ἂν εἴη τῶν νῦν ἐόντων, ὥσπερ ἔχει νῦν· „οὕτω δὲ ἐχόντων, ἀεὶ ἔσται τὰ αὐτὰ (scr. ταῦτα) καὶ οὐδέ- „τερα (scr. οὐδέτερον) καὶ οὐδὲ ἅμα ἐπιλείψει).“

Haec iam satis apertam prae se ferunt cum Heraclitea ratione affinitatem. Nam primum quidem explicationem continent plenam atque distinctam illius sententiae, quam Aristoteles (Meteorol. B 2 p. 355 a 5 Bek.) Heracliteam esse indicavit: τὸ ὑγρὸν τῷ πυρὶ τροφὴν εἶναι μόνον (coll. Theophr. de ign. § 4 Vol. I 706 Schn.: τὸ παρὰ τῶν παλαιῶν λεγόμενον ὅτι τροφὴν ἀεὶ ζητεῖ τὸ πῦρ). Porro quietem esse perniciei caussam prorsus ex mente eius dictum, qui totam rerum naturam cinno comparavit, quippe qui statim in singulas suas partes discedat atque corrumpatur, nisi agitetur rutabulo *): Heraclit. apud Lucian. Vit. auct. 13: εἰς κυκεῶνα πάντα συνειλέεται; Theophr. de vertig. I 809 Schn.: εἰ δὲ

*) Inde originem duxit ea narratiuncula quae exstat apud Plutarchum de garrul. 511 b (Schl. p. 436) et Schol. Ven. in Il. X, 149

μὴ, καθάπερ Ἡράκλειτός φησι, καὶ ὁ κυκεὼν διίσταται κινούμενος (scr. εἰ δὴ, καθάπερ et διίσταται μὴ κινούμενος). Denique duorum principiorum, aquae et ignis, aeternitas ea cum condicione affirmatur, ut non prorsus excludatur illud tempus, quo secundum Aristotelem Phys. Ausc. Γ, 5, 205 a 3 ἅπαντα γίνεσθαι πῦρ statuit Heraclitus. Contra, illud quoque non est dissimulandum, in hoc περὶ διαίτης loco magis aequiparari igni aquam, quam cum Heracliti doctrina conveniat, quamquam etiam ille in ignis conversionibus primas partes dedit θαλάσσῃ (fr. 25 p. 374 seqq. Schl.). Quapropter non ipsam Heracliteam doctrinam hic tradi diximus sed affinem. Neque minus dicendi genus, in quo raro invenias verba Heraclitea, qualia quidem sunt διάφορον et σύμφορον (v. supra p. 5 extr.), arguere videtur scriptorem sui iuris potius quam totum ab aliena imitatione pendentem. — Quae vero statim post illum locum sequuntur (631, 5 τὸ μὲν οὖν πῦρ καὶ τὸ ὕδωρ, ὥσπερ εἴρηταί μοι — 11 ἕνι γὰρ ἐν ὕδατι ἀπὸ τοῦ πυρὸς ξηρὸν) ita sunt comparata, ut ab eodem, qui superiora scripsit, profecta non esse appareat. Primum enim eisdem fere verbis iteratur, quod iam supra (630, 7) ita explicatum est, ut nihil desideres, tum vero, quum supra igni sola movendi facultas, aquae autem sola alendi tribuatur, hic iam exsistunt quattuor illa tralaticia θερμόν, ξηρόν, ψυχρόν, ὑγρόν, quae simul indicant cur ab assuendo hoc panno sibi temperare non potuerit consarcinator. Nam hic se prodit ipse verbis ὥσπερ εἴρηταί μοι lepide sane fraudulentis, quorum ope eis, quae *non* dixit sed transscripsit aliunde, suas annectit vel suae aetatis opiniones (cf. 647, 5). Istis igitur omissis, priorem illum scriptorem iterum deprehendimus 631, 12:

„Ita quum se habeant“ inquit, „ignis et aqua: in multa „et varia discedunt plantarum et animantium (σπερμάτων καὶ „ζώων) genera et aspectu et facultate discrepantia. Quippe „quum illa, ignis et aqua, numquam ibidem consistant sed „semper varient: necessario etiam quae ab illis secernuntur „fiunt dissimilia (ἅτε γὰρ οὔποτε κατὰ τὸ αὐτὸ ἱσταμένων

„ἀλλ' αἰεὶ ἀλλοιουμένων, ἔπειτα *) ἀνόμοια ἐξ ἀνάγκης γίνεται „καὶ τὰ ἀπὸ τούτων ἀποκρινόμενα). Nil vero interit, neque „exsistit quicquam, quin etiam antea fuerit, sed commiscendo „et discernendo omnia variantur. Opinantur quidem mortales „exsistere, quod incremento auctum ex Orco in luminis oras „procedit, interire vero, quod dispendiis imminutum ex lumine „in Orcum relabitur (*νομίζεται δὲ ὑπὸ* (V. *παρὰ* vulg.) „*τῶν ἀνθρώπων τὸ μὲν ἐξ Ἅϊδου ἐς φάος αὐξηθὲν γε-* „*νέσθαι τὸ δὲ ἐκ τοῦ φάεος ἐς Ἅϊδην μειωθὲν ἀπολέσθαι*). „Maiorem autem fidem habent oculis, quam rationi, quam- „quam oculi ne de visibilibus quidem idonei sunt iudices. Ego „vero haec secundum rationem expono (*ὀφθαλμοῖσι δὲ πι-* „*στεύουσι μᾶλλον ἢ γνώμῃ οὐκ ἱκανοῖς ἐοῦσι οὐδὲ περὶ τῶν* „*ὁρεομένων κρῖναι. ἐγὼ δὲ τάδε γνώμῃ ἐξηγέομαι* V. *ὀφθαλ-* „*μοῖσι δὲ δεῖ πιστεύεσθαι μᾶλλον ἢ γνώμῃσιν ἐγὼ δὲ τάδε* „*γνώμῃ ἐξηγέομαι*, omissis reliquis, vulg.). Nam, et quae ex- „sistere dicuntur et quae interire, utraque vivunt, neque quod „vivit mori potest, quum extra rerum summam nihil sit „quo abeat mortuum, neque rursus, quod non est, potest ex- „sistere, quum nihil sit unde adveniat. Sed omnia augescendo „et decrescendo maxima fiunt minimaque quoad licet".

In his quum nihil reperiatur quod ab Heraclitea doctrina abhorrere dicas, aliquae exstant et sententiae et vocabula Ephesio propria. Etenim quamvis alicubi proverbii istius **) mentionem fecerit, quo oculi auribus fideliores testes praedicantur (*ὀφθαλμοὶ τῶν ὤτων ἀκριβέστεροι μάρτυρες* fr. 23 p. 365 Schl.), tamen oculos ipsos non minus quam aures malos iudicavit testes, ubi deest ratio (fr. 22 p. 364 Schl.). Veram autem rationem ab eo appellatam esse *γνώμην* ***) te-

---

*) Sic V. *ἔπειτα καὶ ἔπειτα* vulg. Ubi latet fortasse *ἐκεῖσε καὶ ἐκεῖσε* cum *ἀλλοιουμένων* coniungendum: „variant huc illuc."

**) Herod. I, 8 *ὦτα γὰρ τυγχάνει ἀνθρώποισι ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν.* cf. Naekii opusc. I, 70—72.

***) Hinc profecti et emendare et explicare poterimus Diogenis Laertii

stantur fr. 44 p. 477 : *ἐπίστασθαι γνώμην* et fr. 66 p. 522: *ἦθος ἀνθρώπειον οὐκ ἐχει γνώμας* (f. *γνώμην*) *θεῖον δὲ ἔχει*. Neque minus Heracliteam esse illam Orci et luminis oppositionem cum fr. 70 p. 524: *ωὐτὸς δὲ Ἀΐδης καὶ Διόννυσος*, tum etiam luculentius probant ea, quae statim sequuntur. Illa quum propius quam reliqua ad ipsius Heraclili ora-

---

verba haec (IX, 11): *ἐπιγράφουσι δὲ αὐτὸ οἱ μὲν, Μούσας, οἱ δὲ, περὶ φύσεως, Διόδοτος δὲ, ἀκριβὲς ὁἀκισμα πρὸς στάθμην βίου, ἄλλοι γνώ μην ἠθῶν τρόπου κόσμον ἑνὸς τῶν ξυμπάντων.* Quorum ultima unum tantum continent Heraclitei libri indicem ab uno grammatico inscriptum, quod ipsa Diogenis oratio demonstrat. Fuit autem, nisi fallor, talis: *γνώμη, ἤτοι τρόπος κόσμου ἑνὸς τῶν ξυμπάντων.* „Ratio, id est, vicissitudo ordinis, qui est unus omnibus.“ *κόσμος εἷς τῶν ξυμπάντων* dicitur ad exemplum ipsius Heracliti (fr. 25 p. 374, 450): *κόσμος ὁ αυτὸς ἁπάντων*, ubi *κόσμος* non est „mundus“ sed „ordo.“ Recentiores demum per errorem ad sententiam de pluribus mundis Heraclitea verba traducentes, eum dixerunt statuisse *πεπεράσθαι τε τὸ πᾶν καὶ ἕνα εἶναι κόσμον* Diog. IX, 8 (p. 392 Schl.). *Τρόπος* vero et ipsum ex propria Heracliti consuetudine appellatur eiusdem legis per totam rerum naturam patentis forma varia; v. infra p. 23 et cf. Sext. Empir. VII, 133 ubi *ξυνὸς λόγος* nil aliud esse dicitur quam *ἐξήγησις τοῦ τρόπου τῆς τῶν πάντων διοικήσεως.* Aliorum de hoc indice Heraclitei libri opiniones et lusus habes apud Schleierm. p. 411, 355 et Huebnerum in Diog. l. l. — In altero indice metrico haud necessarium est Buttmani *σταθμόν* pro *στάθμην*, quum „gubernatio vitae ad regulam accurata“ nihil habeat offensionis. „Musas“ autem qui Heracliti librum inscripserunt fieri quidem potest, ut Platonis Soph. 242e (*Μοῦσαι Ἰάδες*) meminerint, quod dicit Schleiermacherus p. 355. Neque vero id est „inepte“ factum neque inde „novem“ partes Heraclitei libri efficiuntur. Pertinet enim ad antiquum Musarum numerum ternarium (Paus. 9, 29, 2. Varron. fr. I, p. 359 ed. Bip.) et ad tripertitam Heraclitei libri divisionem (Diog. IX, 5). Similiter Philolai liber inscriptus est *Βάκχαι*, quas tres significari ad tres libri partes referendas demonstravit Boeckhius.

tionem accedere videantur, ascripsimus integra. Sunt autem haec (632, 10):

ὅτι δ' ἂν διαλέγωμαι γενέσθαι καὶ [τὸ] ἀπολέσθαι, τῶν πολλῶν εἵνεκεν ἑρμηνεύω. ταὐτὰ δὲ καὶ ξυμμίσγεσθαι καὶ διακρίνεσθαι δηλῶ. ἔχει δὲ ὧδε· γενέσθαι καὶ ἀπολέσθαι τωὐτό, ξυμμιγῆναι καὶ διακριθῆναι τωὐτό. [γενέσθαι ξυμμιγῆναι τωὐτὸ, ἀπολέσθαι μειωθῆναι διακριθῆναι τωὐτό] ἕκαστον πρὸς πάντα καὶ πάντα πρὸς ἕκαστον τωὐτο, καὶ οὐδὲν πάντων τωὐτὸ (quattuor ultima vocabula habet V. om. vulg.) [ὁ νόμος γὰρ τῇ φύσει περὶ τούτων ἐναντίος]. χωρὶς (scr. χωρεῖ) δὲ πάντα καὶ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα ἄνω καὶ κάτω ἀμειβόμενα· ἡμέρη καὶ εὐφρόνη ἐπὶ τὸ μήκιστον καὶ ἐλάχιστον· [ὡς καὶ τῇ σελήνῃ τὸ μήκιστον καὶ ἐλάχιστον (om. V.)] πυρὸς ἔφοδος καὶ ὕδατος· ἥλιος ἐπὶ τὸ μακρότατον καὶ βραχύτατον. πάλιν πάντα (V. om. vulg.) ταὐτὰ καὶ οὐ ταὐτὰ. φάος Ζηνὶ, σκότος Ἀΐδῃ, φάος Ἀΐδῃ, σκότος Ζηνὶ φοιτᾷ καὶ μετακινεῖται (duo haec voc. om. V.) κεῖνα ὧδε καὶ τάδε κεῖσε πάσην ὥρην, διαπρησσόμενα κεῖνα τε τὰ τῶνδε, τὰ δὲ ταῦτα κείνων (scr. ταῦτα δὲ τὰ κείνων vel: τάδε δ' αὖ τὰ κείνων), καὶ θ' ἃ (scr. τὰ) μὲν πρήσσουσι οὐκ οἴδασιν, ἃ δὲ οὐ (V. om. vulg.) πρήσσουσι δοκέουσιν εἰδέναι. καὶ θ' ἃ (scr. τὰ) μὲν ὁρῶσι οὐ γινώσκουσιν, ἀλλ' ὅμως αὐτοῖσι πάντα γίνεται δι' ἀνάγκην θείην καὶ ἃ βούλονται καὶ ἃ μὴ βούλονται. φοιτεόντων δ' ἐκείνων ὧδε τῶνδέ τε κεῖσε, συμμισγομένων πρὸς ἄλληλα, τὴν πεπρωμένην μοίρην ἕκαστον ἐκπληροῖ καὶ ἐπὶ τὸ μέζον καὶ ἐπὶ τὸ μεῖον. φθορὴ δὲ πᾶσιν ἀπ' αλλήλων, τῷ μέζονι ἀπὸ τοῦ μείονος καὶ τῷ μείονι ἀπὸ τοῦ μέζονος. αὐξάνεται καὶ τὸ μέζον ἀπὸ τοῦ ἐλάσσονος καὶ τὸ ἔλασσον ἀπὸ τοῦ μέζονος (sex ultima voc. V. om. vulg.) τὰ δ' (scr. τά τ') ἄλλα πάντα καὶ ψυχὴ ἀνθρώπου καὶ σῶμα ὁκοῖον ἡ ψυχὴ διακοσμέεται.

Sunt quidem haec Heracliti vestigiis insignita manifestissimis, quamquam intermiscentur addimenta quaedam aliena.

Nam quae v. 4 et 6 uncis inclusimus ut non negaverit Heraclitus, tamen ex ipsa eorum *post* ea quae antecessere collocatione recentior apparet origo. Quis enim propositis primum insolentioribus his: eadem esse oriri atque interire, commisceri et discerni, deinde ad solita ista et in hoc disputandi genere tritissima descenderet: oriri idem esse quod augeri — nam v. 6 post γενέσθαι inserendum αὐξηθῆναι, quod μειωθῆναι notioni respondeat — et commisceri, interire vero idem quod imminui et discerni? Quapropter ea addita puto ab eodem fortasse, qui v. 8 et 9 quaedam de humanae opinionis et naturae diversitate infersit, ne illa quidem ab Heraclito aliena sed non ex ipsius more dicendi enunciata. Quod facile concedet, qui comparaverit qualibus verbis eadem sententia comprehenditur infra p. 22 v. 8. Ipsum vero illud: eadem esse oriri atque interire, tam proprium est Heraclito tamque late per universam eius rationem pertinet, ut tale quid testimoniis confirmare non minus sit otiosum quam si ὁδὸς ἄνω καὶ κάτω v. 9, 10 quemquam peritum suspiceris dubitaturum quin unice sit Heraclitea. Ea autem conversio susum deorsum apertius quam alibi usquam v. 9, 10 significatur, modo pro corrupto χωρὶς v. 9 scribas χωρεῖ, Platonis memor Cratyl. 402 a: λέγει που Ἡράκλειτος ὅτι πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει.

Deinceps v. 10—13 mutua illa rerum omnium permutatio exemplo aliquo explanatur non sine brevitate illa, quam amabat Heraclitus ὁ πάντα εἰπὼν καὶ πάντα σιγήσας. Dicuntur dies et nox vicissim in maximum minimumque procedere, cuius vicissitudinis causam in alternante ignis vel aquae ad solem accessione cerni, atque ex ea alternatione pendere utrum sol per longissimum an per brevissimum tempus luceat. Iam vicissitudinis illius mentionem factam esse ab Heraclito, unum tantum atque id tenue exstat vestigium inter fragmenta adhuc collecta. Quod inest Plutarchi verbis his (V. Cam. c. 19): Ἡράκλειτος ἐπέπληξεν Ἡσιόδῳ τὰς μὲν [scil. ἡμέρας] ἀγαθὰς ποιουμένῳ τὰς δὲ φαύλας, ὡς ἀγνοοῦντι

φύσιν ἡμέρας ἁπάσης μίαν οὖσαν. V. Schl. p. 346. Verum addi potest alterum ex Senecae epistola XII: „Heraclitus, cui „cognomen σκοτεινόν fecit orationis obscuritas, *unus*, inquit, „*dies par omni est*“. Cuius dicti explicatio Stoica, quam ibidem affert Seneca: „quia nox habet quod dies perdidit“ cum loco περὶ διαίτης, de quo agimus, apte conspirat. — Porro solem ab aqua nutriri secundum Heraclitum, cum recentiorum scriptorum testimoniis plurimis tum Aristotelis constat, qui etiam solstitiorum caussam inde repetitam esse ab Heraclito significat Meteorol. B, 2 p. 355a 1 Bek.: διὰ τοῦτ' [scil. ὅτι τρέφεται τῷ ὑγρῷ] ἔνιοί γέ φασι καὶ ποιεῖσθαι τὰς τροπὰς αὐτὸν [scil. τὸν ἥλιον]. οὐ γὰρ ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς δύνασθαι τόπους παρασκευάζειν αὐτῷ τὴν τροφήν. Eiusdem autem Aristotelis non minus quam codicis V. auctoritate v. 11 et 12 ὡς καί τῇ σελήνῃ τὸ μήκιστον καὶ τὸ ἐλάχιστον uncis segregavimus tanquam recentius additamentum *). Quamquam id vel sine ulla auctoritate colligi poterat ex ipsa verborum et natura et collocatione. Mire enim dissonat particularum ὡς καί prolixa perspicuitas ab obscura reliquae orationis brevitate, atque etiam mirabilius de luna agitur *ante* solem. Accedit vero auctoritas Aristotelis, qui postquam Heracliteae opinioni: aquam esse solis alimentum, alia obiecit, ἄτοπον δὲ καὶ inquit (Meteor. ibid. 18) τὸ μόνον φροντίσαι τοῦ ἡλίου, τῶν δ' ἄλλων ἄστρων παριδεῖν αὐτοὺς τὴν σωτηρίαν τοιούτων καὶ τὸ πλῆθος καὶ τὸ μέγεθος ὄντων. Ergo de sole tantum egerat Heraclitus, neglectis et luna et reliquis astris. Atque ipse huius neglectus caussam exponit fr. 31 p. 397 Schl.: ἡλίου μὴ ὄντος, ἕνεκα τῶν ἄλλων ἄστρων εὐφρόνην ἂν ἡγομεν. Quare quaecunque a recentioribus scriptoribus narrantur de certis quibusdam ἀναθυμιάσεσι, astro-

*) Id solum ex dativo τῇ σελήνῃ proficimus, quod confidentius pro ἥλιος v. 13 coniicimus ἡλίῳ legendum esse atque coniungendum cum ἔφοδος.

rum secundum Heraclitum alimentis, ea explodenda sunt omnia utpote commenta interpretum, qui defectum ab Aristotele reprehensum ex suo quisque ingenio supplere studuerunt. Quodsi in hoc negotio in diversas abiere partes: indignae sunt eorum opiniones quae operose, sicut fecit Schleiermacherus p. 403, examinentur. Neque deest indicium aliquos ἡρακλειτίζοντας pressius institisse magistri vestigiis. Etenim Probl. Arist. 23, 30 exstant haec usque adhuc neglecta: φασί τινες τῶν ἡρακλειτιζόντων ἐκ μὲν τοῦ ποτίμου [scil. ὕδατος] ξηραινομένου καὶ πηγνυμένου λίθους γίνεσθαι καὶ γῆν, ἐκ δὲ τῆς θαλάττης τὸν ἥλιον ἀναθυμιᾶσθαι. Quae aperte commentantur *) in Heracliti fr. 25 p. 374 Schl.: πυρὸς τροπαὶ

---

*) Atque melius quidem, quam fecit Clemens Alex. Strom. V, 14, p. 711 Pot., qui omnia ad Stoicorum rationem traduxit: ὅτι μὲν ἀΐδιον τὸν ἐξ ἁπάσης τῆς οὐσίας ἀϊδίως ποιὸν κόσμον ᾔδει [scil. Ἡράκλειτος] φανερὸν ποιεῖ λέγων οὕτως· „κόσμον τὸν „αὐτὸν ἁπάντων οὔτε τις θεῶν οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησεν ἀλλ' ἦν „ἀεὶ καὶ ἔστιν καὶ ἔσται πῦρ ἀείζωον ἁπτόμενον μέτρα καὶ „ἀποσβεννύμενον μέτρα.“ ὅτι δὲ καὶ γενητὸν καὶ φθαρτὸν εἶναι ἐδογμάτιζεν, μηνύει τὰ ἐπιφερόμενα. „Πυρὸς τροπαὶ „πρῶτον θάλασσα θαλάσσης δὲ τὸ μὲν ἥμισυ γῆ τὸ δὲ ἥμισυ „πρηστήρ.“ Δυνάμει γὰρ λέγει, ὅτι πῦρ ὑπὸ τοῦ διοικοῦντος λόγου καὶ θεοῦ τὰ σύμπαντα δι' ἀέρος τρέπεται εἰς ὑγρὸν τὸ ὡς σπέρμα τῆς διακοσμήσεως, ὃ καλεῖ θάλασσαν, ἐκ δὲ τούτου αὖθις γίνεται γῆ καὶ οὐρανὸς καὶ τὰ ἐμπεριεχόμενα. Ubi primum dico v. 2 pro ἀϊδίως ποιόν scribendum esse ἰδίως ποιόν. Significatur enim ea mundi forma, qualis est ante generationem et post ἐκπύρωσιν huius mundi. Eam autem formam a Stoicis appellatam esse κόσμον ἰδίως ποιόν ipse Clemens probat paullo post: οἱ ἐλλογιμώτατοι τῶν Στωικῶν δογματίζουσι περὶ — κόσμου διοικήσεως καὶ τοῦ ἰδίως ποιοῦ κόσμου et V, c. 1 p. 649 Pott. οἱ Στωικοὶ — τὸν ἰδίως ποιὸν ἀναστήσεσθαι δογματίζουσιν. cf. Arius Didymus apud Euseb. Praep. XV, 15 qui ἐκ πάσης τῆς οὐσίας ποιόν nominat. Alibi etiam, si recte memini, dicitur ἄποιος i. e. earum qualitatum expers, quae insunt in hoc mundo διοικήσεως sive διακο-

πρῶτον θάλασσα, θαλάσσης δὲ τὸ μὲν ἥμισυ γῆ, τὸ δὲ ἥμισυ πρηστήρ, ita autem commentantur, ut solis tantum habeant rationem, dulcem vero aquam terrae formandae adhibeant, quum contra recentiores ἐκ ναμάτων καὶ ποταμῶν (v. Schl. p. 403) astra nutriri tradiderint.

Sed redeamus ad locum περὶ διαίτης. V. 14 iam apertius sibi opponuntur Ἀΐδης et Ζεύς; cf. fr. 11 p. 334: Ζηνὸς ὄνομα, fr. 31 p. 396: οὖρος αἰθρίου Διός, p. 429 παίζειν τὸν Ἡρακλείτου Δία. — V. 19 autem progreditur ad stultitiam hominum exagitandam, qui quum ne ea quidem, quae ipsi faciunt, scire dicantur, neque quae vident, intelligere — excidit autem v. 22 altera enunciati particula: ἃ δ' οὐκ ὁρῶσι δοκέουσι γινώσκειν —: id, ut infra patebit, eam vim habet, quod quamvis artes cotidie ab hominibus exercitae eisdem nitantur legibus, quibus universa rerum natura, tamen, ne sic quidem admoniti, communes illas leges agnoscunt homines.

σημήσεως γενητῷ καὶ φθαρτῷ. — Porro in verbis v. 9 δυνάμει γὰρ λέγει interpretandis mira commisere et alii et Schleiermacherus p. 378, quum appareat ita ea esse accipienda: „quoad „*sententiam* haec dicit Heraclitus.“ Nam appellationes ipsas Stoicas, in quas transtulit Heraclitea, ne Clemens quidem putavit notas fuisse Ephesio. cf. Sextus Empiric. adv. Math. XI, 6 δυνάμει δὲ καὶ οὗτος κτλ. — Denique quum hic omnia ad tralaticiam Stoicorum doctrinam sint conformata, vix mihi persuadeo recte sese habere quod θάλασσα dicitur τὸ ὡς σπέρμα τῆς διακοσμήσεως. Constat enim a Stoicis ita dictum esse, non θάλασσαν, sed πῦρ. cf. Aristocl. apud Euseb. Praep. XV, 14: πρῶτον πῦρ εἶναι καθαπερεί τι σπέρμα τῶν ἁπάντων ἔχον τοὺς λόγους; Plut. aqua an ign. util. p. 955 d: οἷον σπέρμα τοῦτο [scil. τὸ πῦρ] ἐξ ἑαυτοῦ πάντα ποιεῖν, et ubicunque de σπερματικοῖς λόγοις Stoicorum agitur. Quapropter videntur illa verba in unico nostro Clementis codice in alienum locum traiecta esse, atque sic legendum v. 11: ὅτι πῦρ, τὸ ὡς σπέρμα τῆς διακοσμήσεως, ὑπὸ τοῦ διοικοῦντος . . . . . τρέπεται εἰς ὑγρὸν, ὃ καλεῖ θάλασσαν κτλ.

„Verum“ inquit v. 22, „velint nolint, omnia eis fiunt *δι' ἀνάγκην θείην.*“ Quae quum sint ad mentem Heracliti dicta, qui in perenni rerum fluxu mensuram quandam immutabilem regnare putavit, tum etiam vocabulum retinent, quo hac in re usus est. Nam, quamvis, ubi ornate loquitur, *Δίκην* appellet aeternam illam rerum gubernatricem, necessitatem (fr. 30 p. 394: *Ἥλιος οὐχ ὑπερβήσεται μέτρα, εἰ δὲ μὴ Ἐρίνυές μιν Δίκης ἐπίκουροι ἐξευρήσουσι* Plut. de exil. p. 604 b *)), tamen alibi ipsum *ἀνάγκης* nomen ab eo usurpatum esse ex vestigiis quibusdam colligitur. V. Plut. Plac. I. 27: *Ἡράκλειτος πάντα καθ' εἱμαρμένην τὴν δὲ αὐτὴν ὑπάρχειν καὶ ἀνάγκην*; Theodoret. Graec. aff. cur. p. 87 Sylb. 236 Gaisf.: *ἀνάγκην τὴν εἱμαρμένην καὶ οὗτος* [scil. *Ἡράκλειτος*] *ὠνόμασεν*, cf. Schl. p. 426. Ipsum vero *εἱμαρμένης* nomen quomodo apud Heracliti sectatores et praecipue apud Stoicos in meram Fati significationem abire potuerit, ante oculos

---

*) Idem fragmentum ab eodem Plutarcho de Isid. 370 d. sic affertur: *Ἥλιον δὲ μὴ ὑπερβήσεσθαι τοὺς προσήκοντας ὅρους· εἰ δὲ μή γλώττας μιν Δίκης ἐπικούρους ἐξευρήσειν.* Ubi *γλώττας* pro *Ἐρίνυας* ortum videtur ex annotatione lectoris cuiusdam qui Aegyptiaci symboli: *γλῶσσα τύχη γλῶσσα δαίμων*, a Plutarcho in eodem libello (378 c.) allati, praeter rem meminerat. Quod et Buttmannus (apud Schl. l. l.) et Lobeckius Agla. 1100 scribi voluerunt *Λύττας*, vel propterea aegre accipias, quod aeterni *ordinis* tutrices haud satis apte eo ipso nomine appellantur, quo apertior, quam in reliquis earundum dearum, inest notio *furoris*. — Qui necessitatem dicunt *δαίμονα* vocatam esse ab Heraclito nixi Celsi loco, qui (apud Origen. c. Cels. VI, 639a ed. De l. R.) ex Heraclito affert: *ἀνὴρ νήπιος ἤκουσε πρὸς δαίμονος ὅκωσπερ παῖς πρὸς ἀνδρός* (fr. 67 p. 523 Schl.), non minus errant, quam qui „genium tutelarem“ illuc invexerunt. Nam apparet pro *δαίμονος* scribendum esse *δαήμονος*, ut sibi opponantur stupidus (*νήπιος*) et doctus (*δαήμων*). Quamquam id Celsus ipse praetervidit. Origeni vero non licuisse vel non vacasse Heraclitì librum inspicere, etiam aliunde patet.

nobis ponit noster *περὶ διαίτης* locus v. 25: *τὴν πεπρωμένην μοίρην ἕκαστον ἐκπληροῖ*. In extremis autem verbis v. 30: *τά τ' ἄλλα πάντα καὶ ψυχὴ ἀνθρώπου καὶ σῶμα ὁκοῖον ἡ ψυχὴ διακοσμέεται* compilatoris orationem agnosco singulas operis sui partes qualicunque potuit vinculo connectentis. Atque adeo fieri potest ut sub *σῶμα ὁκοῖον ἡ ψυχὴ διακοσμέεται* lateat index eorum quae sequuntur (cf. p. 638, 14), perperam in verborum continuitatem illatus. Quod quum in hoc libello, nullis corruptelis non turbato, aliquoties acciderit: in uno exemplo apertissimo (p. 639, 5 *περὶ οὐκ* (scr. *τοῦ*) *ἀφανέος καὶ φανεροῦ* cf. p. 640, 1) iam suspicatus est Gesnerus. Non minus vero aperta sunt haec: p. 646, 10 *ἐπίδειξις* (scr. *ἀπόδειξις*) *τῶν πολλῶν ἀφροσύνης*, 641, 3 *φύσιν ἀνθρώπου καθ' οἷον ταῦτα μιμέεται*, 637, 2 *διότι οὐ γινώσκουσιν ὅ,τι ποιέουσιν*, cf. p. 633.

Iam post *διασκευήν* istam sequuntur haec 633, 17:

> *ἐσέρπει δὲ ἐς ἄνθρωπον μέρεα μερέων ὅλα ὅλων ἔχοντα* [*σύγκρησιν πυρὸς καὶ ὕδατος*] *τὰ μὲν ληψόμενα τὰ δὲ δώσοντα, καὶ τὰ μὲν λαμβάνοντα πλεῖον ποιέει, τὰ δὲ δίδοντα μεῖον. πρίουσιν ἄνθρωποι ξύλον, ὃ μὲν ἕλκει ὃ δὲ ὠθέει, τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο ποιέουσιν, μεῖον δὲ ποιέοντες πλεῖον ποιέουσι, τὸ δ' αὐτὸ καὶ φύσις ἀνθρώπων. τὸ μὲν ὠθέει, τὸ δὲ ἕλκει, τὸ μὲν δίδωσι τὸ δὲ λαμβάνει κτλ.*

Quorum ut sententiae heraclitissant, ita exemplo illo serratorio usum esse Heraclitum etiam aliunde cognoscemus infra. Quod vero ad *μέρεα μερέων* attinet, quae v. 1 dicuntur in se continere *ὅλα ὅλων*: nunc demum videmus quo spectaverit Aenesidemus apud Sextum adv. Math. IX, 337, a Schleiermachero praetermissus: *ὁ δὲ Αἰνησίδημος κατὰ Ἡράκλειτον καὶ ἕτερόν φησι τὸ μέρος τοῦ ὅλου καὶ ταὐτόν. ἡ γὰρ οὐσία καὶ ὅλη ἐστὶ καὶ μέρος, ὅλη μὲν κατὰ τὸν κόσμον, μέρος δὲ κατὰ τὴν τοῦδε τοῦ ζῴου φύσιν. τὸ δὲ μόριον καὶ αὐτὸ λέγεται διχῶς καὶ ὅτὲ μὲν ὡς διαφέρον τοῦ ἰδίως νοουμένου μέρους, καθά φασιν αὐτὸ μέρος μέρους εἶναι,*

καθάπερ δάκτυλον μὲν τῆς χειρὸς οὗς δὲ τῆς κεφαλῆς, ὁτὲ δὲ ὡς μὴ διαφέρον ἀλλὰ μέρος ὂν τοῦ ὅλου, καθό τινές φασι κοινῶς μόριον (Fabr. μέρος libri) εἶναι τὸ συμπληρωτικὸν τοῦ ὅλου. Ubi simul in luculento videmus exemplo, quomodo Heracliti aenigmata ad suum captum conformaverint cum reliqui interpretes tum Aenesidemus, ex quo, ut infra p. 29 significabimus, Heraclitea suá hausit Sextus. Etiam maiore cum licentia noster διασκευαστής versatus est in hoc negotio. Nam postquam, per p. 634 in transscribendis antiquioris scriptoris verbis pergens ad eum pervenit locum, ubi ille, natura animae accuratius explicata, haec dicit p. 635, 3: διὰ τοῦτο ἀνθρώπου ψυχὴ ἐν ἀνθρώπῳ αὐξάνεται, ἐν ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ καὶ τῶν ἄλλων ζώων τῶν μεγάλων ὡσαύτως. ὁκόσα δὲ ἄλλως, ἀπ' ἀλλήλων ὑπὸ βίης ἀποκρίνεται, tum transscribendi operam διασκευαστής, cuius homo solus interest, ita interrumpit v. 5: περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ζώων εἰσω, quae vero de homine dicta sint accuratius sese explicaturum promittit: περὶ δὲ ἀνθρώπου δηλώσω. Ita autem explicat, ut servatis, quantum licebat, antiquioris scriptoris verbis, ad suum consilium ea detorqueat addendo leviterque mutando. Sic prima eorum quae supra p. 16 apposuimus iterat διασκευαστής p. 635, 6:

> ἐσέρπει δὲ ἐς ἄνθρωπον ψυχὴ πυρὸς καὶ ὕδατος ξύγκρησιν ἔχουσα μοῖραν (scr. μοίρας δὲ coll. 647, 6 *) σώματος ἀνθρώπου. ταῦτα δὲ τὰ θήλεα καὶ ἄρσενα καὶ πολλὰ καὶ παντοῖα [τρέφεται]. τρέφεται δὲ καὶ αὔξεται διαίτῃ τῇ περὶ τὸν ἄνθρωπον.

Ex hac igitur explicatione etiam in locum antiquioris scriptoris verba σύγκρησιν πυρὸς καὶ ὕδατος intrusa sunt. Quapropter supra p. 16 uncis ea segregavimus, praesertim quum reliquae orationis ordinem importune turbent. μέρεα μερέων

*) Ubi haec leguntur: ἡ δὲ ψυχὴ τοῦ ἀνθρώπου, ὥσπερ μοι καὶ προείρηται, σύγκρησιν ἔχουσα πυρὸς καὶ ὕδατος, μέρη δὲ ἀνθρώπου.

autem videmus traduci ad varios sexus humanos, et, quanto ocius fieri potest, omnia dirigi ad principalem, quem *περὶ διαίτης* compilator persequitur, finem, nimirum ad ipsam *δίαιταν τὴν περὶ τὸν ἄνθρωπον*. Quam explicandi viam etiam in reliquis tenuit egregius ille *διασκευαστής*. Postquam enim similitudinem illam a serrando ligno repetitam, quam antiquior scriptor antiquo more apposuerat abrupte sine comparandi particula (v. supra p. 16, v. 4), suo more suisque verbis iteravit p. 635 v. ult.: *ὥσπερ οἱ τέκτονες τὸ ξύλον πρίουσι κτλ.*: applicat eam non ad universam *φύσιν ἀνθρώπου*, quod fecerat antiquior scriptor (v. supra p. 16 v. 6), sed, quia est diaeteticus, *τοιοῦτον*, inquit p. 636, 3, *τροφὴ ἀνθρώπου*. Atque eodem modo, qui singula accuratius inter se conferre voluerit, reliquam antiquioris scriptoris orationem inde a p. 634, 6 usque ad p. 635, 2 pertinentem, explicari seu potius detorqueri videbit inde a p. 635, 10 usque ad p. 636, 12.

Quae vero inde a p. 636, 12 exstant, apparet quidem non esse ab ipso compilatore excogitata, sed utrum ex eodem derivata sint fonte, ex quo superiora Heracliteam doctrinam sequentia, id non decerno. Video enim eis inesse aperta Pythagoreae rationis vestigia. Velut p. 636, 12: *χώρην δὲ ἀμείψαντα καὶ τυχόντα ἁρμονίης ὀρθῶς ἐχούσης συμφωνίας τρεῖς, ξυλλήβδην διεξιὼν διὰ πασέων ζώει καὶ αὔξεται τοῖσιν αὐτοῖσιν οἷσι καὶ πρόσθεν*. Quae quidem, ut nunc sunt corrupta, nullam efficiunt sententiam, nedum Pythagoream. Omissis autem aliorum corrigendi tentamentis plurimis sed infructuosis omnibus, quin pro *ξυλλήβδην* scribendum sit: *ξυλλαβήν*, pro *διεξιών* vero: *δι' ὀξειῶν*, neminem puto dubitaturum qui meminerit *δι' ὀξειῶν* idem significare quod *διὰ πέντε*, atque *συλλαβήν* idem quod *διὰ τεσσάρων*. Iam hoc facto tam significans exsistit ratio musica, ut eam nulli possis ascribere nisi Pythagoreo. Quamquam non nego utramque rationem, Heracliteam et Pythagoream, aliquando potuisse coniungi, per commune vinculum *ἑστίας* Pythagoreae et *πυρὸς ἀειζώου* Heraclitei. Imo inde explicandum videtur,

quod etiam Aristoteles Hippasum Metapontinum componit cum Heraclito. Praeter alios autem a medico utraque doctrina facile potuit coniungi, quia et Pythagoreorum et Heracliti physica multo magis quam reliquorum philosophorum adhibebatur medicae arti excolendae *).

Verum ut ab ipso Heraclito musica illa confidenter quivis abiudicabit, ita, quae usque ad p. 638 de corporis humani conformatione ad similitudinem aliorum librorum Hippocraticorum exponuntur, nequaquam probari potest ex Heracliteo manasse fonte. In oratione certe nusquam invenias voces Heracliteas, quales undique elucebant supra. Eas autem iterum deprehendimus p. 638, 14: „Omnia“ inquit, „quae in cor„pore sunt ipse sibi effinxit ignis per commutationem (*κατὰ „τρόπον* (v. supra p. 10, infra p. 22 v. 7), ad imitationem „Totius (*τοῦ ὅλου*), parva magnis, magna parvis assimilans.“ *κοιλίην μὲν τὴν μεγίστην ξηρῷ καὶ ὑγρῷ ταμεῖον, δοῦναι πᾶσι καὶ λαβεῖν παρὰ πάντων, θαλάσσης δύναμιν* **), *ζώων συντρόφων τροφὸν ἀσυμφόρων δὲ φθορόν*. Quae prorsus congruunt cum statione intermedia, quam in naturae conversionibus *θαλάσσῃ* suae assignat Heraclitus. Per eam enim in

*) De Pythagoreis id in vulgus notum est. Quod vero ad Heraclitum attinet, idem cum ex universa eius doctrina potest colligi, tum ex disputationibus, quas cum medicis init et apud Diogenem Laertium et in epistolis. Atque adeo anatomiae studiosum facit Heraclitum narratiuncula quaedam a Ioanne Siceliota (Walz. Rhett. VI, 95) prodita: *Ἡράκλειτος ὁ φυσικὸς τὸ διατί θηρῶν ἀνατέμνει κατὰ μέλος τὸ ζῷον ἐρωτώμενος, ἐπεὶ ἔχω* (scr. *ἐπεὶ οὐκ ἔχω*) *τὸν διδάσκοντά με τὴν φύσιν τῶν ὄντων ἀπεκρίνατο*. Quae omnia ut sint a sophistis in maius aucta atque exornata, tamen vix credas sine ullo fundamento esse conficta. Neque temere fecisse videtur Plato quod in Convivio Heracliteae disciplinae peritum inducit Eryximachum *medicum*.

**) cf. *περὶ ἐνυπνίων* II, p. 4: *ὁκόσα ἐς θάλασσαν* [*φέρεται*] *κοιλίης νοσήματα — σημαίνει*. p. 12: *θάλασσα ταρασσομένη κοιλίης νοῦσον σημαίνει*.

ὁδῷ κάτω omnia ex igne procedunt in varietatem, rursusque in ὁδῷ ἄνω recipiuntur in unitatem, ita ut revera θάλασσα „omnibus det et ab omnibus sumat“ (v. Schl. p. 375). Neque minus cum Heraclito consentiunt quae paullo post reperiuntur 639, 4: „Ignis ea quae in corpore consumuntur augens se„cernit quaedam a Consistente illo, in quo quum omnia con„tineantur, quicquid sua sorte inde procedit in lucem“ (καταναλίσκοντα (scr. καταναλισκόμενα) δὲ αὖξον (scil. πῦρ) [σκέδασιν ὕδατος λεπτοῦ καὶ πυρὸς] ἐποιήσατο [περὶ οὐκ ἀφανέος καὶ φανεροῦ] *) ἀπὸ τοῦ ξυνεστηκότος ἀπόκρισιν, ἐν ᾧ φερόμενα πάντα ἐς τὸ φανερὸν ἀφικνέεται ἕκαστα μοίρῃ πεπρωμένῃ).

In qua τοῦ ξυνεστηκότος descriptione sicut unusquisque agnoscet illud quod recentiores, rem suo vocabulo notantes, περιέχον dicunt Heracliteum: ita quae ab animali igni fit ἀπόκρισις ἀπὸ τοῦ ξυνεστηκότος, qua alitur homo, nil aliud est atque ἀπορροή, quam ἐκ τοῦ περιέχοντος ab homine attrahi secundum Heraclitum et Plutarchus tradit et Sextus; v. Schl. p. 495. Atque omnino quum hic, aqua neglecta, solius ignis vi efficaci tribuantur omnia: integriora quam alias remansisse videntur hoc loco Heraclitea. Quapropter in eis quoque quae statim sequuntur, quamvis nova accedant auribus, diligenter circumspiciendum, quaenam Heraclitea esse iure possimus negare. Certe orationem, ac praecipue quidem in fine, penitus imbutam esse colore Heracliteo nemo diffitebitur. Sunt autem haec, p. 639, 13:

ἐν δὲ τούτῳ (scil. τῷ ἀποκρινομένῳ) ἐποιήσατο πυρὸς (scr. ἐποιήσατο τὸ πῦρ) περιόδους τρισσὰς περαινού-

---

*) Περὶ οὐκ (scr. τοῦ) ἀφανέος καὶ φανεροῦ segregavimus tanquam indicem ad p. 640 init. pertinentem; v. supra. — σκέδασιν ὕδατος λεπτοῦ καὶ πυρός interpretamentum videtur ab eodem fortasse ad ἀπόκρισιν ascriptum, qui et supra p. 19. extr. ξηρῷ καὶ ὑγρῷ addidit ante ταμεῖον et p. 639, 2 ὕδατος ψυχροῦ καὶ ὑγροῦ σύστασιν invexit.

σας πρὸς ἀλλήλας καὶ εἴσω καὶ ἔξω. αἱ μὲν πρὸς τὰ κοῖλα τῶν ὑγρῶν, σελήνης δύναμιν, αἱ δὲ ἐς τὴν ἔξω περιφορὰν πρὸς τὸν περιέχοντα πάγον, ἄστρων δύναμιν, αἱ δὲ μέσαι καὶ εἴσω καὶ ἔξω περαίνουσαι τὸ θερμότατον καὶ ἰσχυρότατον πῦρ, διέπον ἅπαντα κατὰ φύσιν, ἄψοφον (scr. ἄψαυστον *)) καὶ ὄψει καὶ ψαύσει. ἐν τούτῳ ψυχή, νόος, φρόνησις, αὔξησις, κίνησις, μείωσις, διάλλαξις (tria ultima om. V.), ὕπνος, ἐγρήγορσις. τοῦτο πάντα διὰ παντὸς κυβερνᾷ καὶ τάδε καὶ ἐκεῖνα, οὐδέκοτε ἀτρέμιζον.

Circuituum, quos in corpore conficere dicitur ignis, altera mentio fit in hoc ipso *περὶ διαίτης* libro; v. infra p. 27. Praeterea in libro *περὶ ἐννυπνίων*, quem cum libro *περὶ διαίτης* artissime coniunctum esse probavimus (v. supra p. 19 annot. **)), ita somniis coniectandis adhibentur, ut pro eo, quod v. 6 *τὸ θερμότατον καὶ ἰσχυρότατον πῦρ* apellatur, ponatur *ἥλιος*; v. T. II, p. 4 extr. ed. Küh.: *ἄστρων μὲν οὖν ἡ ἔξω περίοδος, ἡλίου δὲ ἡ μέση, σελήνης δὲ ἡ πρὸς τὰ κοῖλα.* Ubi alias in scriptis Hippocraticis similis exstet doctrina equidem non invenio. Neque quae reperiuntur igneae vis descriptiones ullo modo cum hac libri *περὶ διαίτης* possunt comparare. Etenim vel eam, quae propius, quam reliquae accedere videtur (*περὶ σαρκῶν* I, p. 425 Küh.): *δοκέει δέ μοι ὃ καλέομεν θερμὸν ἀθάνατόν τε εἶναι καὶ νοέειν πάντα καὶ ὁρῆν καὶ ἀκούειν καὶ εἰδέναι πάντα καὶ τὰ ὄντα καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι*, et ipsam procul abesse facile concedet, qui intellexerit in *περὶ διαίτης* loco, de quo agimus, certum quoddam Heracliti decretum unoquoque fere verbo contineri. Sic, ut a fine incipiamus, v. 11 *πῦρ οὐδέκοτε ἀτρέμιζον* prorsus respondet *πυρὶ ἀειζώῳ* fr. 25 p. 374 Schl. Ut vero v. 10 *πάντα διὰ παντὸς κυβερνᾶν καὶ τάδε καὶ ἐκεῖνα* (v. supra p. 10 v. 16) dicitur ignis: ita paene eadem verba habes fr. 44 p. 477

*) Quod iam alii proposuere. E cod. V. affertur *ἄοικτον* i. e. *ΑΟΙΚΤΟΝ*, et uno addito puncto: *ΑΘΙΚΤΟΝ ἄθικτον*, interpretamentum vocabuli *ἄψαυστον*.

coll. p. 493 Schl. Porro ex intimo Heracliteae disciplinae recessu illud est petitum, quod v. 9 somni et vigilandi condicio necessitudine quadam cum igne coniungitur; v. Schl. p. 516—521. Denique si opus est testimoniis, „animae, mentis, intellectus“ (v. 8) originem ex igne suo repetiisse Heraclitum, invenies locupletissima apud Schl. p. 474—477.

Illam igitur ignis descriptionem si Heracliteam esse demonstravimus, etiam magis, si fieri potest, Ephesii speciem prae se ferunt ea quae sequuntur p. 639 l. ult. *):

οἱ δὲ ἄνθρωποι ἐκ τῶν φανερῶν τὰ ἀφανῆ σκέπτεσθαι οὐκ ἐπίστανται. τέχνῃσιν γὰρ χρεόμενοι ὁμοίῃσιν ἀνθρωπίνῃ φύσει οὐ γινώσκουσι. θεῶν γὰρ νόος ἐδίδαξε μιμέεσθαι τὰ ἑαυτῶν γινώσκοντας ἃ ποιέουσι καὶ οὐ γινώσκοντας ἃ μιμέονται. πάντα γὰρ ὅμοια, ἀνόμοια ἐόντα· καὶ σύμφορα πάντα, [καὶ] διάφορα ἐόντα· διαλεγόμενα οὐ διαλεγόμενα· γνώμην ἔχοντα, ἀγνώμονα· ὑπεναντίον ᾧ τρόπος ἑκάστων ὁμολογεόμενος· νόμος γὰρ καὶ φύσις, οἷσι πάντα διαρρησσόμενα οὐχ ὁμολογέεται ὁμολογεόμενα **)· νόμον γὰρ ἔθεσαν ἄνθρωποι αὐτοὶ ἑωυτοῖσιν οὐ γινώσκοντες περὶ ὧν ἔθεσαν, φύσιν δὲ πάντες θεοὶ διεκόσμησαν. τὰ μὲν οὖν ἄνθρωποι ἔθεσαν οὐδέποτε κατὰ τὸ ωὐτὸν ἔχει οὔτε ὀρθῶς οὔτε μὴ ὀρθῶς (scr.: οὔτε τὰ ὀρθῶς οὔτε τὰ μὴ ὀρθῶς). ὁκόσα δὲ θεοὶ ἔθεσαν ἀεὶ ὀρθῶς ἔχει καὶ τὰ ὀρθῶς καὶ τὰ μὴ ὀρθῶς. τοσοῦτον διαφέρει.

---

*) Quae omnia, ad verbum quidem, sed non semper recte translata recepit Goethe in sententiarum collectionem, sub indiee: Aus Makariens Archiv, libro: Meisters Wanderjahre annexam; p. 241—243. Vol. 23. ed. 1829. Quamquam fontem occultavit.

**) Nisi velis et ὁμολογεόμενα delere et pro ὁμολογέεται scribere: ὁμολογέουσι, pro διαρρησσόμενα autem: διαρρήσσονται, sic possis corrigere, particula οὐχ transposita: οἷσι πάντα διαρρησσόμενα ὁμολογέεται, οὐχ ὁμολογέοντα i. e. „Consuetudo et „natura, secundum quas, ut inter omnes constat, omnia peragun„tur, non consentiunt.“

In quibus primum v. 5—8 reperitur principalis illius Heraclitei decreti, *ἑνὸς συνδιαφερομένου*, expositio et in sententiis et in vocabulis consentiens cum eis fragmentis ubi apertius quam alias traditur. fr. 33 p. 410 Schl.: *τὸ ἀντίξοον συμφέρον*, fr. 37 p. 432: *συνάψειας οὖλα καὶ οὐχὶ οὖλα, συμφερόμενον διαφερόμενον, συνᾷδον διᾷδον* *). Atque adeo v. 7, ubi omnia per contrarium converti ad consensum his dicitur verbis: *ὑπεναντίον ὁ τρόπος ἑκάστων ὁμολογεόμενος*, habemus unde *ἐναντιοτροπήν* Heracliteam composuerint recentiores (Diog. Laert. IX, 7; Schl. p. 424).

Neque deest inter Heracliti fragmenta eiusdem rationis vestigium, qua v. 10 – 14 sibi opponuntur consuetudo ab hominibus profecta, et naturae lex, quam condiderunt Dei. Haec enim exstant apud Sch. Venet. in Il. IV, 4: *συντελεῖ ἅπαντα ὁ θεὸς πρὸς ἁρμονίαν τῶν ὅλων οἰκονομῶν τὰ συμφέροντα, ὅπερ καὶ Ἡράκλειτος λέγει ὡς τῷ μὲν θεῷ καλὰ πάντα καὶ ἀγαθὰ καὶ δίκαια, ἄνθρωποι δὲ ἃ μὲν ἄδικα ὑπειλήφασιν ἃ δὲ δίκαια.* Ubi nemo in prioribus tantum quaerenda esse Heraclitea, contra aperta ipsius Scholiastae verba (*Ἡρ. λέγει ὡς*) cum Schleiermachero p. 410 pronunciabit, qui v. 10—14, sicut sunt a nobis emendata, contulerit.

Etiam alius reperitur inter fragmenta Heraclitea locus usque adhuc obscurus, cui ex hoc *περὶ διαίτης* loco lucem afferri posse coniicio. Etenim in Platonis Hippia maiore p. 289, ubi de natura pulchri agit, leguntur haec: *τάδε . . . ἀγνοεῖς ὅτι τὸ Ἡρακλείτου εὖ ἔχει ὡς ἄρα πιθήκων ὁ κάλλιστος*

---

*) Ex hoc loco pro v. 5 *διαλεγόμενα ου διαλεγόμενα* scribat *διαείδοντα οὐ διαείδοντα*, qui velit violenter agere. Equidem, quamvis multa in mentem venerint, nondum quicquam inveni, quod vim habeat persuadendi. Goethe vertit: sprechend und stumm. Verum quo iure et omnino et imprimis secundum Heraclitum (v. supra p. 8 extr.) dicitur, omnia esse *γνώμην ἔχοντα καὶ ἀγνώμονα* (Goethe: vernünftig und unvernünftig): certe eodem iure non potest dici omnia loqui et omnia esse muta.

αἰσχρὸς ἀνθρωπείῳ γένει συμβαλεῖν, et paullo post: ἢ οὐ καὶ Ἡράκλειτος ταὐτὸν τοῦτο λέγει, ὅν σὺ ἐπάγῃ, ὅτι ἀνθρώπων ὁ σοφώτατος πρὸς θεὸν πίθηκος φανεῖται καὶ σοφίᾳ καὶ κάλλει καὶ ἄλλοις πᾶσιν (cf. Schl. p. 422). Quae non esse ipsa Heracliti verba quivis videt etiam non admonitus. Ego vero ne sententiam quidem esse Heracliteam concedo, neque secundum veram Ephesii mentem hic a Platone comparari hominis cum Dei pulchritudinem. Quod si cui audacius dictum videatur, is, quaeso, et universam Platonicorum dialogorum naturam reputet, et quid alibi in Heracliteis dictis sibi permiserit Plato e Conv. p. 187 cognoscat. Quinimo in ipsius Platonis verbis his: ἀνθρώπων ὁ σοφώτατος satis apertum remansit Heracliteae sententiae indicium. Nam quid tandem agit sapientia in pulchrorum corporum aestimatione? Quamquam illud indicium oblitterare studuit Plato addito: καὶ σοφίᾳ καὶ κάλλει καὶ ἄλλοις πᾶσι. Quapropter Heraclitus videtur solum hoc dixisse: sapientissimus homo eandem habet rationem ad Deum quam simia ad hominem; quod Graece sic fortasse sonabat: ἀνθρώπων ὁ σοφώτατος πρὸς θεὸν ὅκωσπερ πίθηκος πρὸς ἄνθρωπον. Illud dictum quum in sermonibus tanquam proverbium quoddam, sicut multa alia Heraclitea, frequentaretur: e re nata ad suum quisque consilium eo utebatur parum curans veram ipsius auctoris mentem. Ea vero qualis fuerit apparet ex loco περὶ διαίτης quem tractamus. Ibi enim v. 2—5 dicuntur homines artibus suis divina opera, quae quidem sunt universae naturae leges, inscii imitari, ita ut quamvis sciant *quid* faciant, tamen exemplar illud divinum non cognoscant, *ad quod* se semper, instinctu quodam compulsi (θεῶν νόος ἐδίδαξε v. 3), componunt. Talem sententiam, haud indignam sane Heracliti ingenio, qui velit similitudine aliqua breviter comprehendere, ecquam possit invenire aptiorem hac: Homo est simia Dei?

Iam hic locus de artibus naturae imitatricibus, longa artium enumeratione probatur in libro περὶ διαίτης inde a p. 640, 15 usque ad p. 647, 3. Eiusmodi quid ab ipso Heraclito

factum esse colligi poterat e libro *περὶ κόσμου* c. 5 ubi verbis his: *ταὐτὸ δὲ τοῦτο ἦν καὶ τὸ παρὰ τῷ σκοτεινῷ λεγόμενον Ἡρακλείτῳ· συνάψειας ὅλα καὶ οὐχὶ ὅλα, συμφερόμενον καὶ διαφερόμενον, συνᾷδον καὶ διᾷδον· καὶ ἐκ πάντων ἓν καὶ ἐξ ἑνὸς πάντα* *), satis copiosa praemittitur exemplorum collectio, qua demonstretur *ὁμόνοια διὰ τῶν ἐναντίων οὐ διὰ τῶν ὁμοίων*. Etiam largiore manu *ἐναντιότητος* documenta cumulat Philo Qu. Rev. Div. Her. p. 502 Mang. antequam celebratum illud Heracliti *ἓν ἐξ ἀμφοῖν τῶν ἐναντίων* commemorat. Inde, inquam, colligi poterat etiam ab ipso Heraclito decretum illud explicatum esse exemplorum quadam multitudine. Nam ubi antiqui scriptores alium quendam scriptorem afferunt nominatim, vel maiore cum fiducia, quam hoc fit apud hodiernos, potest coniici etiam finitima ex eodem scriptore hausta esse quodammodo. Verum

*) Ex vestigiis codicum Apul. de mundo p. 66, 33 ed. Elm. apparet Apuleium scripsisse *ἐξ ἑνὸς ἐς πάντα*. Sed gravius est quod in altero loco Heracliteo libri *περὶ κόσμου* Apuleiani codices praebent auxilium. Etenim *π. κόσ.* c. 6 extr., p. 401 a 10 leguntur haec: *πᾶν γὰρ ἑρπετὸν τὴν γῆν νέμεται ὥς φησιν Ἡράκλειτος*. Inde Schleiermacherus confecit fragmentum suum 37 p. 422, in quo explicando ipse sibi non satisfecit. Iam si totum *π. κόσ.* locum accurate perpenderis, illud Heracliti testimonium videbis neque ad ea, quae sequuntur neque ad ea, quae praecedunt, apte pertinere. Utrobique enim agitur de unitate ordinis per totam naturam patentis. Apuleii autem librum de mundo p. 74, 41 si inspicis, in editionibus quidem antiquis etiam ibi invenies inepta illa verba *πᾶν γὰρ ἑρπετὸν κτλ.* tanquam Heraclitea allata. At vero ex libro *π. κόσ.* inseruerunt ea editores Apuleiani omnes praeter novissimum, Hildebrandium. Nam in codice Florentino optimo exstant haec: Mensa *ΠΑΝΤΑ ΕΥ ΕΡΡΕ ΓΩΜΟSSΑR-RINAMEPPH ESSETONOSAHTTI*. Ubi latent fortasse talia: *εἷς ἅπαντα διέρπων* (vel *διέπων*) *κόσμος κυβερνᾷ μεμερισμένος ἐς ἅπαντα*. Ita autem apte sequitur et in libro *π. κόσ.*: *εἷς δὲ ὢν πολυώνυμος ἔστι κτλ.* et apud Apuleium: „Et quum sit *unus*.“

in hac quidem caussa amplius non opus est coniecturis, postquam ex Armenia deperditorum Philonianorum librorum versione apertum prodiit testimonium hoc (Quaest. in Gen. p. 118 Auch.; Vol. VII. p. 11 ed. Lips.): „Heraclitus lib*ros* conscri„psit de natura a theologo nostro (Moyse) mutuatus senten„tias de contrariis, *additis immensis iisque laboriosis argu„mentis* *)." Ex hac igitur Heraclitei libri parte copiam istam similitudinum translatam puto in librum *περὶ διαίτης*. Introducuntur autem hoc prooemio p. 640, 14:

ἐγὼ δηλώσω τέχνας φανερὰς ἀνθρώπου παθήμασι ὁμοίας ἐούσι καὶ φανεροῖσι καὶ ἀφανέσι.

Ubi compilatoris orationem persentisco atque indicium licentiae quam sibi sumpsit in Heracliteis. Heraclitus enim non solum humanae sed universae naturae leges atque imprimis *ἓν συνδιαφερόμενον* spectavit, similitudines autem ita videtur apposuisse ut „tertium comparationis" vel omnino omitteret vel brevissime indicaret. Contra, compilator medicus diaeteticus quaecunque potuit ad solius *ἀνθρώπου παθήματα* **) verbosa explicatione ita detorsit, ut etiam *δίαιταν* (643, 6) et *ἰητρικήν* (642, 9) inferret „*δηλώσει*" suae. Quod vocabulum ei proprium esse in tali negotio supra p. 5 et 17 vidimus. Ita factum est ut aliae similitudines loquaci onerentur interpretatione, aliae nudae adsint sine isto *ὁ μῦθος δηλοῖ*. Quae omnia hoc tempore possumus significare tantum, plenam demonstrationem quando licuerit praestituri. Iam nunc vero non possumus non indicare eas similitudines, quarum mentionem fecimus per superioris disputationis tenorem. Atque

---

*) Videtur in Graeco exemplari exstitisse: *προσθεὶς παραδείγματα ἄπειρα καὶ περίεργα.* — Si reputo per quot manus nobis tradita sint haec Philoniana, vix videtur premi posse pluralis: *libros*. Quamquam potest respicere ad tripertitam libri Heraclitei divisionem; v. supra p. 9 an.

**) Atque nunc ausim dicere etiam supra p. 22 v. 2 *ἀνθρωπίνῃ* insertum esse a compilatore.

primum quidem exemplum a serrantibus repetitum iterum deprehendimus p. 642 extr. Illi quum per contraria (ὁ μὲν ὠθέει, ὁ δὲ ἕλκει) idem perficiant, quasi ante oculos ponunt ἓν συνδιαφερόμενον Heracliteum. Antiquiorem scriptorem heraclitissantem eo exemplo ad φύσιν ἀνθρώπου explicandam usum fuisse, a compilatore autem diaetetico illatam esse τροφὴν ἀνθρώπου patefecimus supra p. 17. Hoc vero loco post φύσιν τε ἀνθρώπου μιμέονται quaedam et de πνεύματι humano et de σίτοις addit compilator.

Deinde circuitus, quos ignem in corpore humano perficere dictum erat supra p. 21, hic breviter commemorantur sic (p. 644, 10): πλοκέες ἄγοντες κύκλῳ πλέκουσιν, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς εἰς τὴν ἀρχὴν τελευτῶσι. τοῦτο περίοδος ἐν τῷ σώματι, ὁκόθεν ἄρχεται, ἐπὶ τοῦτο τελευτᾷ. Ubi circuitus mentio an Heraclitea sit in medio relinquo, circuli tamen similitudine alicubi usum esse Heraclitum affirmo ex Porphyrio apud Sch. Venet. in Il. 14, 200: ξυνὸν ἀρχὴ καὶ πέρας ἐπὶ κύκλου περιφερείας κατὰ τὸν Ἡράκλειτον *).

Iam his duabus comparationibus addere liceat alteras duas, quas Heracliteas esse certis constat testimoniis. Etenim concordiam suam discordem exemplo a musica repetito probasse Heraclitum et aperte testificantur Ethica Eudemia VII, 1, 1235 a 27, Schl. p. 434: οὐ γὰρ ἂν εἶναι ἁρμονίαν μὴ ὄντος ὀξέος καὶ βαρέος et significat liber περὶ κόσμου l. supra p. 25 l.: μουσικὴ – ὀξεῖς ἅμα καὶ βαρεῖς μακροὺς δὲ καὶ βραχεῖς φθόγγους μίξασα ἐν διαφόροις φωναῖς μίαν ἀπέτελεσεν ἁρμονίαν. (cf. Philo. l. ibidem l.: ὀξεῖς καὶ βαρεῖς φθόγγοι.)

Cum his igitur conferenda sunt quae exstant περ. διαίτ. 643, 10: μουσικῆς ὄργανον ὑπάρξαι δεῖ πρῶτον ἐν ᾧ δηλώσει ἃ βούλεται ἁρμονίη. συντάξιες (fort. ἁρμονίης συντάξιες puncto post βούλεται posito) ἐκ τῶν αὐτῶν οὐχ αἱ αὐταὶ ἐκ τοῦ ὀξέος

*) Quem non esse Allegoriarum Homericarum scriptorem, quod post Heynium (Il. Vol. VI p. 564) dixit Schaeferus in Greg. Corinth. p. 170, Ionicum ξυνὸν demonstrat.

ἐκ τοῦ βαρέος, ὀνόματι μὲν ὁμοίων, φθόγγῳ δὲ οὐχ ὁμοίων. τὰ πλεῖστα διάφορα μάλιστα ξυμφέρει καὶ τὰ ἐλάχιστα διάφορα ἥκιστα ξυμφέρει *). εἰ δὲ ὅμοια πάντα ποιήσῃ τις οὐκ ἔνι τέρψις **). αἱ πλεῖσται μεταβολαὶ καὶ πολυειδέσταται μάλιστα τέρπουσι. μάγειροι ὄψα σκευάζουσιν ἀνθρώποισι ἐκ διαφόρων παντοδαπὰ (in V. exstare videtur: ἐκ διαφόρων συμφόρων παντοδαπὰ) ξυγκρίνοντες, ἐκ τῶν αὐτῶν οὐ τὰ αὐτὰ, βρῶσιν καὶ πόσιν ἀνθρώπων. ἢν δὲ πάντα ὅμοια ποιήσῃ, οὐκ ἔχει τέρψιν. οὐδ' εἰ ἐν τῷ (V. om. vulg.) αὐτῷ πάντα ξυντάξειεν οὐκ ἂν ἔχοι ὀρθῶς. κρούεται τὰ κρούματα ἐν μουσικῇ τὰ μὲν ἄνω τὰ δὲ κάτω. γλῶσσα μουσικὴν μιμέεται διαγιγνώσκουσα μὲν τὸ γλυκὺ καὶ τὸ ὀξὺ τῶν προσπιπτόντων καὶ τὰ διάφωνα καὶ ξύμφωνα (duo ultima vocabula V. om. vulg.). κρούεται (fort. κρούει) δὲ τοὺς φθόγγους ἄνω καὶ κάτω, καὶ οὔτε τὰ ἄνω κάτω κρουόμενα ὀρθῶς ἔχει οὔτε τὰ κάτω ἄνω. καλῶς δὲ ἡρμοσμένης γλώσσης τῇ συμφωνίῃ (sic V. τῆς συμφωνίης vulg.) τέρψις, ἀναρμόστου δὲ λύπη.

In quibus musica ratio tot in partes ad Heracliteum ἓν συνδιαφερόμενον adhibetur, taleque exstat dicendi genus, ut procul habenda sit quaevis Pythagoreae originis suspicio. Quid quod in extremis ad ipsam ὁδὸν ἄνω κάτω haud obscure respicitur? — Pergimus ad alteram similitudinem quam Heracliteam esse certo diximus comprobari testimonio. Sextus enim adv. Mathem. VII, 130 ubi somni et vigilandi naturam secundum Heraclitum explicat sive sua seu potius Ae-

---

*) Cf. fr. 36. p. 420 Schl.: ἁρμονίη ἀφανὴς φανερῆς κρείττων. Ad quae Heraclitea verba respicit fortasse Plotinus Ennead. I, 6; Vol. I p. 103 Creuz.: αἱ δὲ ἁρμονίαι ἐν ταῖς φωναῖς αἱ ἀφανεῖς τὰς φανερὰς ποιήσασαι. Etiam alibi Heraclitea tacitus intermiscet suae orationi Plotinus; velut Ennead. V, 9; Vol. II. p. 1033 Creuz: καὶ τὸ ἐμαυτὸν ἐδιζησάμην ὡς ἓν τῶν ὄντων, quae sunt verba fragmenti 73 p. 530 Schl.

**) Fortasse in hanc sententiam: varietatem delectare, dixerat Heraclitus ψυχῇσιν τέρψιν εἶναι ὑγρῇσι γενέσθαι; v. Schl. p. 517, cf. Heraclit. apud Luci. Vit. auct. c. 13: τέρψις, ἀτερψίη.

nesidemi oratione, in somno dicit mentem nostram (ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς) separari a *περιέχοντι*, quum omnes sensuum meatus claudantur praeter unam respirationem. Itaque dormientem carere ratione, cuius fons sit *τὸ περιέχον*. In vigilantibus vero quum mens per sensuum meatus tanquam per fenestras prospiciat *), prorsusque concrescat cum *περιέχοντι*: rursus recuperari rationem. Deinde pergit sic: *ὅνπερ οὖν τρόπον οἱ ἄνθρακες πλησιάσαντες τῷ πυρὶ κατ' ἀλλοίωσιν* (nonne: *ὁμοίωσιν*?) *διάπυροι γίνονται, χωρισθέντες δὲ σβέννυνται, οὕτω καὶ ἡ ἐπιξενωθεῖσα τοῖς ἡμετέροις σώμασιν ἀπὸ τοῦ περιέχοντος μοῖρα* (v. supra p. 20) *κατὰ μὲν τὸν χωρισμὸν σχέδον ἄλογος γίνεται, κατὰ δὲ τὴν διὰ τῶν πλείστων πόρων σύμφυσιν ὁμοειδὴς τῷ ὅλῳ καθίσταται* (cf. Schl. p. 519). His igitur similia quamquam aliorsum translata in libro *περὶ διαίτης* primo reperiuntur, sed in posteriore libri parte, quam alioquin ex nostra disputatione exclusimus. Postquam enim satis prolixe exposuit scriptor et a mare et a femina varias secerni animas, earumque commixtione effingi foetum: opinionem suam comparatione cum carbonibus instituta sic illustrat p. 652, 3: *εἰ δέ τις ἀπιστοίη ψυχὴν μὴ προσμίσγεσθαι ψυχῇ, ἄφρων ἐστίν. ἄνθρακας κεκαυμένους* (fort. *καιομένους*) *πρὸς κεκαυμένους προσβάλλων, ἰσχυροὺς πρὸς ἀσθενέας, τροφὴν αὐτοῖσι δίδους, ὅμοιον τὸ σῶμα πάντες παρασχήσονται, καὶ οὐ διάδηλος ἕτερος τοῦ ἑτέρου, ἀλλ' ἐν ὁκοίῳ σώματι ζωπυρέονται τοιοῦτον ἀπὸ πάντων* (*τοιοῦτον δὴ πᾶν* V.) *ἔσται. ὁκόταν δ' ἀναλώσωσι τὴν ὑπάρχουσαν τροφὴν, διακρίνονται*

*) *Διὰ τῶν αἰσθητικῶν πόρων ὥσπερ διά τινων θυρίδων προκύψας ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς.* Ergo hoc loco ipse Heraclitus sic statuisse traditur. Verum idem Sextus eodem libro §. 349 haec habet: *τὴν διάνοιαν οἱ μὲν ἐκτὸς τοῦ σώματος εἶναι ἔλεξαν ὡς Αἰνησίδημος κατὰ Ἡράκλειτον — οἱ δὲ αὐτὴν εἶναι τὰς αἰσθήσεις καθάπερ διά τινων ὀπῶν τῶν αἰσθητηρίων προκύπτουσαν, ἧς στάσεως ἦρξε Στράτων τε ὁ φυσικὸς καὶ Αἰνησίδημος.*

ἐς τὸ ἄδηλον (scr. διάδηλον). τοῦτο καὶ ἀνθρωπίνη ψυχὴ πάσχει *).

Unde colligitur Heraclitum alicubi ψυχὴν ἀνθρωπίνην cum carbonibus comparasse, omisso, ut solebat, „tertio comparationis.“ Id Aenesidemus sibi invenisse videbatur in animae cum περιέχοντι necessitudine, scriptor autem περὶ διαίτης in commixtione variarum animarum, quas a mare feminaque coeuntibus secerni putabat.

Sed relicta posteriore illa libri περὶ διαίτης parte **), redeamus ad finem superioris loci Heracliteis similitudinibus cumulati. Ipse enim finis ita est comparatus, ut vel solus possit certissime demonstrare quot Heraclitea illuc comportaverit compilator. Est vero talis p. 645, 15:

γραμματικὴ τοιόνδε· σχημάτων σύνθεσις, σημήια φωνῆς ἀνθρωπίνης, δύναμις τὰ παροιχόμενα μνημονεῦσαι, τὰ ποιητέα δηλῶσαι. [δι' ἑπτὰ σχημάτων ἡ γνῶσις] ταῦτα πάντα ἄνθρωπος διαπρήσσεται καὶ ὁ ἐπιστάμενος γράμματα καὶ ὁ μὴ ἐπιστάμενος. δι' ἑπτὰ σχημάτων [καὶ] ἡ αἴσθησις ἡ ἀνθρώπων, ἀκοὴ ψόφων, ὄψις φανερῶν, ῥὶν ὀδμῆς, γλῶσσα ἡδονῆς καὶ ἀηδίης, στόμα διαλέκτου, σῶμα ψαύσιος, θερμοῦ ἢ ψυχροῦ πνεύματος διέξοδοι ἔσω καὶ ἔξω ***). διὰ τούτων γνῶσις ἀνθρώποισιν ἀγωνίη (scr. ἀγνωσίη).

---

*) Haud inutiliter cum hoc loco conferatur περὶ γονῆς Vol. I p. 377, 378 Kühn., ubi seminum masculorum femininorumque commixtio explicatur exemplo cerae et adipis igne liquefactorum.

**) Ex qua quaedam, quae non aliena videntur ab Heraclito, brevissime hic indicare liceat: p. 647, 16 δυνάσται δὲ ἄνθρωποι κτλ. p. 654, 6 χαλκὸς ὁ μαλακώτατος κτλ. cf. p. 642, 12 τὸν σίδηρον περιτήκουσι κτλ. et Stoicos atque Aenesidemum, quos Heracliti sectatores esse constat, apud Tertull. de an. c. 25.

***) Vulgo sic distinguitur: ψαύσιος θερμοῦ ἢ ψυχροῦ, πνεύματος. Quod mutavi ductus superiore quodam loco p. 639, 2: διέξοδος πνεύματος ψυχροῦ καὶ θερμοῦ.

Litterarum exemplo, quod obversari videtur Philoni (l. supra p. 25 l.: γραμματικὴ, ἀγραμματία), iterum probatur, artes humanas sola naturae imitatione constare. Officiis enim litterarum, quae praeteritorum memoria, agendorum indicio continentur, etiam illitteratus homo fungitur per recordandi et loquendi facultatem naturalem. Seclusi autem v. 3 *δι' ἑπτὰ σχημάτων ἡ γνῶσις* tanquam indicem eorum, quae inde a v. 5 sequuntur. Qui quum in verborum ordinem irrepsisset: etiam v. 6 *καὶ* ante *ἡ αἴσθησις* progenuit. Nam frigidam aliquam comparationem inter *septem* vocales — tot enim cognoverat Ionicus — et *septem* sensus hic institui, vel propterea non crediderim quod consonantes non minus quam vocales sunt *σημήια φωνῆς ἀνθρωπίνης*. Ipsa vero „septem" sensuum enumeratio certe et in rebus et in verbis valde peculiaris *) est naturae, quamquam Heracliteam esse aliunde non possum demonstrare. At vero quod v. 9 exstat: sensuum scientiam esse ignorantiam (*διὰ τούτων γνῶσις ἀνθρώποισιν ἀγνωσίη*), id non solum cum Heracliti de sensuum fide sententia convenit (v. supra p. 8 et Sext. adv. Math. VII, 126: *τὴν αἴσθησιν ἄπιστον εἶναι νενόμικεν Ἡράκλειτος*), sed adeo ipsius Heracliti esse verba probatur ex Luciani Vit. Auct. c. 13, ubi Heraclitus exclamat: *καί ἐστι τωὐτὸ τέρψις ἀτερψίη, γνῶσις ἀγνωσίη*. Quae simul emendationem nostram confirmant.

Per illam vero sensuum vituperationem progreditur oratio ad omnem hominum et scientiam et vitam acriter increpandam, p. 646, 6 — 647, 3. Quod profecto a nullo antiquorum philosophorum minus alienum est, quam ab Heraclito, qui pari contemtu eodemque fere conviciorum genere et philosophos qui ante eum inclaruerant et commune vulgus est persecutus. Unde appellatur a Timone *ὀχλολοίδορος* (Diog. Laert. IX, 4), a Theodorida autem (Anth. Pal. VII, 479) *θεῖος ὑλακτητὴς δήμου-κύων* **). Iam quum Schleiermacherus aliquot

*) Qui velit alias enumerationes comparare, adeat Valckenaerii diatrib. de Arist. c. 32.

**) Videtur etiam in re publica plebis oppugnator fuisse Heraclitus

collegerit fragmenta, quae ad philosophorum insectationem spectant, quamquam vel haec aliquantulum possunt angeri: unum tantum apposuit, quo vulgares homines contumeliose traducuntur, neque illud sine erroribus. Quare liceat de eo exponere paullo accuratius.

Est autem fr. 71 p. 526 Sch., quod ex „inedito Procli „in Alcibiadem commentario“ sic ascripsit ille: *Ὀρθῶς οὖν καὶ ὁ γενναῖος Ἡράκλειτος ἀποσκοριάζει τὸ πλῆθος ὡς ἄνουν καὶ ἀλόγιστον. „τίς γὰρ αὐτῶν“ φησὶν „νόος ἢ φρήν,“ ὅτι οἱ πολλοὶ κακοὶ ὀλίγοι δὲ ἀγαθοί. ταῦτα μὲν Ἡράκλειτος.* Quibus addit Schleiermacherus: e postremis verbis colligendum *non* esse etiam *ὅτι οἱ πολλοὶ κτλ.* tanquam Heraclitea afferri. Attamen hoc ideo tantum ei in mentem ve-

---

e nobilissima optimatium Ephesiorum familia oriundus. Nam ad gentem *βασιλέων*, quae originem ab Androclo Ephesi conditore repetebat (v. Strab. XIV. c. 1 init.), pertinuisse Heraclitum colligitur ex Antisthene apud Diog. IX, 6: *ἐκχωρῆσαι Ἡράκλειτον τῷ ἀδελφῷ τῆς βασιλείας.* Unde hoc quoque apparet gentilium honorum participem fuisse solum filium natu maximum. — Exstat inter nummos musei regis Daniae (v. Catalog. Rami P. I p. 234 no. 45) nummus talis: *Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΙΝΟΣ* caput „laureatum; a. *ΕΦΕCΙΩΝ ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΣ* Vir barbatus largo „pallio iudutus stans dextra sublata et quasi ori admota, si„nistra *clavam*.“ Zoega autem (Bass. rel. P. I p. 136 annot.) qui eundem nummum accuratius describit pro „clava“ dicit: „baculum nodosum.“ Ubi caveto ne Heraclitum putes pallio indui philosophico et baculum gestare cynicum. Imo insignibus *βασιλείας* eum ornari patet ex Strabone l. l.: *καὶ ἔτι νῦν οἱ ἐκ τοῦ γένους ὀνομάζονται βασιλεῖς, ἔχοντές τινας τιμὰς, προεδρίαν τε ἐν ἀγῶσι καὶ πορφύραν ἐπίσημον τοῦ βασιλικοῦ γένους, σκίπωνα ἀντὶ σκήπτρου.* Fortasse ad eosdem gentiles honores referendum, quod in foro Ephesio sepultum esse Heraclitum narratur apud Diogenem. Neque minus in hominem *nobili* genere natum illud quadrat quod Clemens, nescio quali auctore, prodit Strom. I c. 14 extr. p. 354 Pot.: *Ἡράκλειτος — Μελαγκόμαν τὸν τύραννον ἔπεισεν ἀποθέσθαι τὴν ἀρχήν.* Qui Melancomas idem esse videtur Ephesius tyrannus quem Suidas s. v. *Ἱππῶναξ* appellat: *Κωμᾶς.*

nire potuit, quia librum unde Procli verba descripsit non satis diligenter inspexit. Descripsit enim, quamquam non dixit, e Fabricii in Sextum adv. Math. VII, 127 annotatione, ubi inter ἢ φρὴν et ὅτι οἱ πολλοὶ interponuntur omissionis signa a Schleiermachero praetervisa. Omisit vero Fabricius misere corrupta, quae sic apponere noluit, emendare non potuit. Ita rem sese habere apparuit, ex quo integrum Procli locum ediderunt Creuzerus (Plotin. de pulchrit. p. 28 seq.; Procli com. in Alc. p. 255) et Cousinus (Procli op. T. III p. 115). Ibi enim exstant haec:

> ὀρθῶς οὖν καὶ ὁ γενναῖος Ἡράκλειτος ἀποσκορακίζει τὸ πλῆθος ὡς ἄνουν καὶ ἀλόγιστον· τίς γὰρ αὐτῶν *), φησί, νόος ἢ φρὴν, δήμων αἰδοῦς **) ἠπιόων τε καὶ διδασκάλῳ χρειῶν τε ὁμίλῳ οὐκ εἰδότες ὅτι οἱ πολλοὶ κακοὶ ὀλίγοι δὲ ἀγαθοί. ταῦτα μὲν ὁ Ἡράκλειτος.

Quae quum sint e coniectura corrigenda feliciter huic negotio aliunde advenit auxilium haud contemnendum ***). Etenim apud Clementem (Str. V, 9 p. 682 Pott.) leguntur haec:

> αἱ γοῦν Ἰάδες μοῦσαι διαρρήδην λέγουσι, τοὺς μὲν πολλοὺς καὶ δοκησισόφους δήμων ἀοιδοῖσιν ἕπεσθαι καὶ νόμοισιν χρέεσθαι εἰδότας ὅτι πολλοὶ κακοὶ ὀλίγοι δὲ ἀγαθοί. αἱρεῦνται γὰρ, φησὶν, ἐναντία πάντων οἱ ἄριστοι κλέος ἀέναον θνητῶν οἱ δὲ πολλοὶ κεκόρηνται ὅπως κτήνεα.

Ubi per Ἰάδες μοῦσαι ad exemplar Platonis (v. supra

---

*) Αὐτῶν habent Parisiensis, duo Monacenses, Hamburgensis. Omittit Leidensis et, ut videtur, Vaticanus.

**) ηπίων Monac. 2. — Deinde διδασκάλων et ὁμίλων Creuzerus utrobique.

***) Quo quum non usus sit Werferus (apud Creuzerum) talia tentavit: τίς γὰρ, φησὶ, νόος ἢ φρὴν δήμῳ αἰδοῦς ἠπιοτήτων τε καὶ διδασκαλιῶν χρειῶν τε ὁμίλῳ. Deinceps, καὶ inserto, a superioribus tanquam aliud fragmentum separavit ultima: ὅτι οἱ πολλοὶ κτλ.

p. 9 an.) significari Heraclitum qui nondum ex Procli loco intellexerit, videbit ex ipsius Clementis altero Str. IV, 7 p. 586 Pott. *): *Ἡράκλειτος ἓν ἀντὶ πάντων κλέος ἥρεῖτο, τοῖς δὲ πολλοῖς* **) *παραχωρεῖν ὁμολογεῖ καὶ κορῆσθαι οὐχ ὥσπερ κτήνεσι.*

Tribus igitur illis testimoniis coniunctis talem propono Heracliti orationem: *τίς γὰρ αὐτῶν νόος ἢ φρήν; δήμων ἀοιδοῖσι* (sive: *ἀοιδαῖσι*) *ἕπονται καὶ διδασκάλῳ χρέονται ὁμίλῳ, οὐκ εἰδότες ὅτι πολλοὶ κακοὶ ὀλίγοι δὲ ἀγαθοί, αἱρέονται γὰρ ἓν ἀντία πάντων οἱ ἄριστοι, κλέος ἀέναον θνητῶν, οἱ δὲ πολλοὶ κεκόρηνται ὅκωσπερ κτήνεα.*

In prioribus solius Procli vestigia erant premenda. Nam Clementis *διαρρήδην* non idem valere quod *αὐτολεξεί* et oratio indirecta docet, et *φησί* quod v. 4 sequitur. Ex Procli autem *αἰδοῦς ἠπιόων* vel *ηπίων τε* et Clementis *ἀοιδοῖσιν ἕπεσθαι* facile erat verum invenire. Neque minus in promptu est Procli *διδασκάλῳ χρειῶν τε* (i. e. *χρέονται*) *ὁμίλῳ οὐκ εἰδότες* magis servare ipsius Heracliti orationem quam Clementina *νόμοισι χρέεσθαι εἰδότας* partim manca partim liberius mutata. Denique ex *ἐναντία πάντων* et *ἓν ἀντὶ πάντων* efficiendum esse: *ἓν ἀντία πάντων*, per *οὐχ ὥσπερ κτήνεσι* vero et *ὅπως κτήνεα* manu quasi nos duci ad Ionicam formam *ὅκωσπερ*, non magis est obscurum quam quae in priore loco Clementino post *κτήνεα* sequuntur: *γαστρὶ καὶ αἰδοίοις καὶ τοῖς αἰσχίστοις τῶν ἐν ἡμῖν μετρήσαντες τὴν εὐδαιμονίαν* ab ipso Clemente esse adiecta.

Quos vero homines cavilletur acerba ista Heracliti oratio, non potest controversum esse si *αὐτῶν*, quod servavit Proclus, cum Clementis *δοκησισόφους* confertur. Nimirum et qui sua aetate et qui antea sapientiae laude floruerant, nimis

---

*) Clementis locos primus indicavit Ritterus phil. ion. p. 76. Neque vero ille neque, quod sciam, alius aut emendavit, aut cum Procli verbis composuit.

**) Scr. *παραχωρῶν ὁμολογεῖ* vel *παραχωρεῖ καὶ ὁμολογεῖ.*

adhaerescere putabat Heraclitus vulgari hominum opinioni, a qua sane longissime recedit ipsius doctrina. Quare inquit: „Qualis istis inest mens vel intellectus? Naenias vul„gares sequuntur et tanquam magistra utuntur multitudine, ne „illud quidem edocti, multos esse malos, bonos paucos.“ Quod quidem commune erat proverbium profectum a Biante Prienensi (Diog. Laert. I, 87 et 88), quem reliquis philosophis praeferebat Heraclitus (fr. 15 p. 346 Schl.: *ἐν Πριήνῃ ἐγένετο Βίας ὁ Τευτάμεω οὗ πλείων λόγος ἢ τῶν ἄλλων*). Quam Biantis sententiam ita persequitur Heraclitus, ut vulgus pecudum ritu sese ingurgitare dicat, ab optimis vero unum aliquod reliquis neglectis eligi: famam perennem mortalium (*κλέος ἀέναον θνητῶν*). In qua perennitatis cum mortalitate compositione seu potius oppositione irrisio inest satis aperta, quae luculenter indicat non ex ipsius Heracliti sententia famam tanquam summum bonum praedicari, quod quidem Clemens dicit altero loco, sed ex opinione eorum, qui sunt optimi inter malos.

In Heraclitum igitur, qui sic de hominibus universis iudicabat *), optime cadere dicimus quae exstant *περ. διαίτ.* p. 646 seq. Ea, etsi nil habent de quo uberius exponatur, tamen quin ascribam temperare mihi nequeo. Nam quod talia libro diaetetico intermiscentur, id, si quid aliud, nostram de libri illius natura sententiam videtur confirmare. Sic autem se habent illa:

---

*) Breviter indicamus aliud quoddam Heracliti dictum huc pertinens, nescio cur usque adhuc praetermissum: Theodor. Prodrom. in Lazeri Miscell. p. 20: *ὁ εἷς μύριοι, παρ' Ἡρακλείτῳ, ἐὰν ἄριστος ᾖ*. Symmach. lib. IX. ep. CXV.: „iudicio tuo et similium „contentus esse deberem — secundum Heraclitum philosophum „(*physicum* cod. Iuret.), qui summum laudis arbitrabatur, placere „uni, si esset optimus qui probaret.“ cf. Anth. Pal. VII, 128, ubi Heraclitus haec loquens inducitur:

εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος τρισμύριοι· οἱ δ' ἀνάριθμοι
οὐδείς· ταῦτ' αὐδῶ καὶ παρὰ Περσεφόνῃ.

Παιδοτρίβαι τοῖον διδάσκουσιν· παρανομέειν κατὰ νόμον, ἀδικέειν δικαίως, ἐξαπατέειν, κλέπτειν, ἁρπάζειν, βιάζεσθαι. τὰ κάλλιστα [*καὶ*] *αἴσχιστα. ὁ μὴ ταῦτα ποιέων κακὸς, ὁ δὲ ταῦτα ποιέων ἀγαθὸς* [*ἐπίδειξις*] *τῶν πολλῶν ἀφροσύνης* (v. supr. p. 16)]. *Θεῶνται ταῦτα καὶ κρίνουσιν ἕνα ἐξ ἁπάντων ἀγαθὸν, τοὺς δὲ ἄλλους κακοὺς πουλοὶ θαυμάζουσιν, ὀλίγοι γινώσκουσιν. ἐς ἀγορὴν ἐλθόντες ἄνθρωποι ταῦτα διαπρήσσονται· ἐξαπατῶσι πωλέοντες καὶ ὠνεόμενοι. ὁ πλεῖστα ἐξαπατήσας οὗτος θαυμάζεται. πίνοντες καὶ μαινόμενοι ταῦτα διαπρήσσονται· τρέχουσι, παλαίουσι, μάχονται, κλέπτουσι, ἐξαπατῶσιν. εἷς ἐκ πάντων κρίνεται. ὑποκριταὶ καὶ ἐξαπάται. πρὸς εἰδότας λέγουσιν ἄλλα καὶ φρονέουσι ἕτερα. οἱ αὐτοὶ ἐξέρπουσι καὶ εἰσέρπουσιν οὐχ οἱ αὐτοί. ἑνὶ* (fort. *ἕνι*) *δὲ ἀνθρώπῳ ἄλλα μὲν λέγειν, ἄλλα δὲ ποιέειν καὶ τὸν αὐτὸν μὴ εἶναι τὸν αὐτὸν καὶ ποτὲ μὲν ἄλλην ἔχειν γνώμην ὁτὲ δὲ ἄλλην.*

Continuo his coronidem suam imponit compilator haud illepide quidem: *οὕτω μὲν αἱ τέχναι πᾶσαι τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει ἐπικοινωνέουσιν.* Deinceps autem ad ea progreditur, quae ad hanc disputationem nihil attinent.

Vita.

Natus sum Hamburgi, anno huius saeculi vicesimo quarto, patre sacrorum Iudaicorum antistite Hamburgensi, matre e gente Hannoverana *Berend* oriunda. Patre carissimo et *Islero*, viro de me optime merito, ducibus litterarum elementis imbutus per quadriennium Ioanneum et Gymnasium Academicum, quae Hamburgi sunt, adii ibique praeter alios *Calmbergii*, *Kraftii*, *Muelleri*, *Peterseni*, *Ullrichii* et praeclara usus sum disciplina et consuetudine iucundissima. Anno CIↃIↃCCCXLIV huius Academiae civibus ascriptus per triennium seminarii philologici exercitationibus interfui lectionesque audivi *Brandisii*, *Dahlmanni*, *Freytagii*, *Ritschelii*, *Welckeri*. Quibus viris omnibus quum maximas, quas debeo, agam gratias: non possum quin cum gratissimi animi significatione peculiari humanissimam commemorem benignitatem, qua *Brandisius Welckerus*que me adiuverunt, et omnis generis beneficia, quibus me cumulavit *Ritschelius*, ὅς με φίλησ' ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ.

Themata.

I. *Inter inferiorem, quae dicitur, criticam et philologiam eadem intercedit ratio, quae grammaticam inter et poesin.*

II. *Cornelii Celsi encyclopaedia non inscripta erat: „de artibus“ sed: „Cestus.“*

III. *Immerito vituperat Niebuhrius Lucretium, quod Atticae pestilentiae narrationem e Thucydide transscripserit, neglectis Italicis pestilentiarum exemplis.*

IV. *Quae exstant apud Servium in Aen. VIII, 646 e fabula aliqua praetextata hausta sunt.*

V. *Plat. Cratyl. 389 E.: οὐδὲν δεῖ τοῦτο ἀγνοεῖν scribendum est: ἀγνωμονεῖν.*

VI. *Anaxarch. apud Stobae. Serm. 34, 16: οὐ παραδέχονται ἐν ἀργίῃ γνώμην scribendum est ἐνεργίης. Cf. Schleiermach. Heraclit. p. 344, Iacobs. lect. Stob. p. 71.*

VII. *Heraclit. fr. 8 p. 331 Schl.: δοκεόντων ὁ δοκιμώτατος γινώσκει φυλάσσειν, καὶ μέντοι δίκη καταλήψεται ψευδῶν τέκτονας καὶ μάρτυρας scribendum est: πλάσσειν.*

VIII. *Quae Casaubonus in Suet. Ner. 25 e margine codicis Viterbiensis profert, integra sunt Festi verba de lemniscis.*

IX. *Nondum demonstratum est, Ennianos versus, quos solus profert Paullus Merula, ab ipso confictos esse.*

X. *Quotquot adhuc prolatae sunt gnostici Ialdabaoth etymologiae, falsae sunt omnes.*

XI. *Nemodum recte explicavit cur Simo Magus appellatus sit ὁ ἑστώς.*

XII. *„Nullum antiquorum temporum monumentum periit, „cuius interitus nobis sit deplorandus.“ Hamann.*
„Tempus est sicut flumen, quo enatant leviora, soli„diora merguntur.“ Baco.